ERYCI PUTEANI
BAMELRODI
Hiſtoriographi Regii, Profeſſoris, Conſiliarii, &c.

EPISTOLARUM POSTHUMARUM
CENTURIA II.
AD VIROS
IN REPUBLICA PRINCIPES,
ET MAGNATES.



LOVANII,
Typis ANDREAE BOUVETI, Typ. jur.
ANNO cIↄ. Iↄc. LXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI,

MARIO CHISIO,

DUCI

CAMPAGNANO,

ECCLESIASTICÆ MILITIÆ

ARCHISTRATEGO,

COMMUNIS OMNIUM

PARENTIS,

AC

PAPÆ BEATISSIMI

§ 2 FRA-

FRATRI
NATU MAJORI,
CANIS VENERABILI,
AC INDEFESSO,
IN BONUM PUBLICUM
STUDIO,
MULTUM COMMENDABILI,
QUI NUPER
IN PUBLICA CALAMITATE,
TAM SE MISERICORDEM,
AVERTENDISQUE
MALIS AC MISERIIS,
SUB QUIBUS
UNIVERSUS PASSIM
FATISCEBAT POPULUS,
TAM PROMPTUM SE,
INDU-

INDUSTRIUMQUE PRÆBUIT
UT URBEM,
TOTAMQUE
CIRCUM-DITIONEM,
A PESTE LIBERARIT
AC FAME,
SICQUE
SOSPITALIS ROMANI
APPELLATIONEM
PROMERITUS SIT:
QUIQUE IMPRÆSENTIARUM,
TANQUAM VOLUNTATIS
PONTIFICIÆ
FIDELISSIMUS EXECUTOR,
IN MITTENDIS, NON MODO,
SERENISSIMÆ

VENETORUM

REIPUBLICÆ,

(CUJUS MAGNANIMITAS

VERE HEROICA

OMNEM ADMIRATIONEM,

FORTITUDO,

VERE INFRACTA,

OMNEM LAUDEM

SUPERAT)

SED ET PROCURANDIS EIDEM,

ALIORUM PRINCIPUM

SUPPETIIS:

CONCILIANDOQUE

INTER

CÆSAREM,

CATHOLICUM REGEM,

IPSOS.

Digitized by Google

IPSOSQUE STRENUISSIMOS

VENETOS

CONTRA IMMANEM

CHRISTIANI NOMINIS HOSTEM

FOEDERE

TOTUS.

MAGNO HUIC VIRO

CUNCTORUM AFFECTU

ET APPLAUSU DIGNISSIMO,

POLITICAM HANC

CENTURIAM

EPISTOLARUM

AD VIROS IN REPUBLICA

SERENISSIMOS,

EXCELLENTISSIMOS,

ILLUSTRISSIMOS,

MAGNA

Digitized by Google

MAGNANIMOS, INCLYTOS,

AB

ERYCIO PUTEANO,

MISSARUM:

AUTHORIS GENER

XYSTUS ANTONIUS MILSER

DEMISSISSIMO CULTU

OFFERT.

ERY-

Digitized by Google

ERYCI PUTEANI

EPISTOLARUM

POSTHUMARUM

AD VIROS PRINCIPES IN REPUBLICA, ET MAGNATES

CENTURIA SECUNDA.

EPISTOLA I.

Bruxellam.

ALBERTO ARCHIDUCI

Belgarum Principi.

PROFESSORIO & Lipſiano munere ante ſexennium à Celſitudine Tua exornatus, obnixè peto, ut quod LIPSIO concedere ad ornamentum Litterarum Serenitas Tua dignata eſt, ipſe

nunc impetrem accipiamque ; qui hoc unum quà docendo, quà ſcribendo, laboravi maximè, ut LIPSIUM Celſitudini Tuæ, quoad id fieri poſſet, redderem. Hoc ornamentum titulus à Conſiliis honorarius eſt, cum augmento ducentorum aureorum, qui à quadriennio, cùm Bononienſem rejicerem conditionem, addicti, & ab anno iterum decreti fuêre. Ita ſperare nunc audeo, fretus & benignitate Serenitatis Tuæ, & petitionis honeſtâ neceſſitate. Sic omnia Munificentiæ Tuæ debebo, æternumque obſtrictus, nullis Exterorum promiſſis avellendus aut movendus. Et quemadmodum honorarium illum titulum, quo viri alii in Litteris occupati, à Principibus ſuis donati ſunt, & donantur, in gloriam Celſitudinis Tuæ vertam; ita ſimul & honore illo, & præmio ſummam rerum mearum & fortunarum definiam. Sic nunc vota mea commendo, & felicitatem Celſitudini Tuæ precor. Lovanii IV. Eid. May ∞. IↃC. XII.

EPISTOLA II.

Bruxellam.

PHILIPPO GUILIELMO

Principi Auriaco.

SI magni Excellentiæ Tuæ erga me affe-ctum facio, quidni & affectus ejuſdem pignus? Inſigne hoc eſt, aureum eſt, ut amorem intelligam, qui tam puro & defæcato metallo, velut igne, obſignatur. Omnino, ut amor ignis, ſic & aurum eſt: quemadmodum verò clariſſimus ille, qui à Sole, ita pulcherrimus, qui à Principe Viro. Te Solem meum eſſe, quidni dicam? hinc illuſtror. Ampliùs etiam conſecutus ſum. In hoc igne & auro Heroicum & verè æternum Excellentiæ Tuæ, vultum diſtinguo, pari ſuavitate & majeſtate compoſitum, & felici quoque induſtriâ expreſſum. Ipſæ gratiæ tuæ radii ſunt; rident, & non perſtringunt: prorſus humanitatis tuæ genius tam benignus eſt, quàm ſublimis & inclytus. Ergo cingor auro & torquatus ſum; circumdor igne & flammas alo, imò præſens

Excellentiæ Tuæ facies pectus meum ſtimulat, ut gratus ſim, & tantam porrò humanitatem merear. Sciet poſteritas, cæteris maximiſque virtutibus tuis affectum Litterarum non defuiſſe. Et quia æternitatis aliqua me cura rapit, ſtilo complectar generoſum illud Excellentiæ Tuæ robur, illum omni fortunâ majorem animum, denique quidquid parem te priſcis Heroibus facit. Hæc cùm dicam, nunquam ipſe moriar: & ut aptè ac tempeſtivè dicam, utar quoque auxilio ejus, qui ut maximè colit Excellentiam Tuam, ita & æternitatem promovet. Poſthumam gloriam memoria facit: hæc ſcriptis & monumentis perennis eſt, & legi debet, ne intereat. Ego verò ut aliquid ingenio meo tribuam, idem ille FLORITIUS facit, verè tuus; qui famæ tuæ & honori tam impensè ſtudet. Verè meus, qui ſuum Principem, meum quoque eſſe voluit, imò videri. Ergo æternùm eris, atque videberis Magne Heros: Hoc oblivionem ſcripta mea vincant. Vitam interim longiſſimam & valetudinem precor. Lovanii, IV. Eid. May, CIↃ. Ↄ C. XIII.

EPIST. III.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

FRANCISCO MONCADÆ

Marchioni de Aytona, Legato Regio.

NOMEN tuum Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Legate, facere epiſtolam potuit, ut cùm Poëta dicam, MAGNUM ET MEMORABILE NOMEN: in ſolatium verò rerum ac ſtudiorum meorum ſcriptum. Si rectè calculum ponimus, Nomen, benevolentiæ teſſera eſt, epiſtolæ fides, robur ac anima ſcriptionis: non etiam quâ linguâ, ſed quo quis animo verba promat, reſpicere ſoleo, non quo colore, ſed quo affectu. Hæc naturæ tuæ bonitas eſt, ut omnem in candore ac veritate elegantiam ponas, blanditias non niſi humanitatis teſtes, prudentiæ ac virtutis comites habeas. Hæc etiam ingenii tui ſublimitas, ut nullius linguæ peregrinus, Romanâ, quæ pulcherrima eſt, tanquàm vernaculâ, utaris. Olim ſanè, quas ad me quoque exarabas litteras, admiratus ſum, & nuper ſermonem, copiâ facilem, & dignitate quadam decorum.

Excellentiæ Tuæ facies pectus meum ſtimulat, ut gratus ſim, & tantam porrò humanitatem merear. Sciet poſteritas, cæteris maximisque virtutibus tuis affectum Litterarum non defuiſſe. Et quia æternitatis aliqua me cura rapit, ſtilo complectar generoſum illud Excellentiæ Tuæ robur, illum omni fortunâ majorem animum, denique quidquid parem te priſcis Heroibus facit. Hæc cùm dicam, nunquam ipſe moriar: & ut aptè ac tempeſtivè dicam, utar quoque auxilio ejus, qui ut maximè colit Excellentiam Tuam, ita & æternitatem promovet. Poſthumam gloriam memoria facit: hæc ſcriptis & monumentis perennis eſt, & legi debet, ne intereat. Ego verò ut aliquid ingenio meo tribuam, idem ille FLORITIUS facit, verè tuus; qui famæ tuæ & honori tam impensè ſtudet. Verè meus, qui ſuum Principem, meum quoque eſſe voluit, imò videri. Ergo æternùm eris, atque videberis Magne Heros: Hoc oblivionem ſcripta mea vincant. Vitam interim longiſſimam & valetudinem precor. Lovanii, IV. Eid. May, ꝏ. Ɔ C. XIII.

EPIST. III.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

FRANCISCO MONCADÆ

Marchioni de Aytona, Legato Regio.

NOMEN tuum Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Legate, facere epiſtolam potuit, ut cùm Poëta dicam, MAGNUM ET MEMORABILE NOMEN: in ſolatium verò rerum ac ſtudiorum meorum ſcriptum. Si rectè calculum ponimus, Nomen, benevolentiæ teſſera eſt, epiſtolæ fides, robur ac anima ſcriptionis: non etiam quâ linguâ, ſed quo quis animo verba promat, reſpicere ſoleo, non quo colore, ſed quo affectu. Hæc naturæ tuæ bonitas eſt, ut omnem in candore ac veritate elegantiam ponas, blanditias non niſi humanitatis teſtes, prudentiæ ac virtutis comites habeas. Hæc etiam ingenii tui ſublimitas, ut nullius linguæ peregrinus, Romanâ, quæ pulcherrima eſt, tanquàm vernaculâ, utaris. Olim ſanè, quas ad me quoque exarabas litteras, admiratus ſum, & nuper ſermonem, copiâ facilem, & dignitate quadam decorum.

Excellentiæ Tuæ facies pectus meum ſtimulat, ut gratus ſim, & tantam porrò humanitatem merear. Sciet poſteritas, cæteris maximisque virtutibus tuis affectum Litterarum non defuiſſe. Et quia æternitatis aliqua me cura rapit, ſtilo complectar generoſum illud Excellentiæ Tuæ robur, illum omni fortunâ majorem animum, denique quidquid parem te priſcis Heroibus facit. Hæc cùm dicam, nunquam ipſe moriar: & ut aptè ac tempeſtivè dicam, utar quoque auxilio ejus, qui ut maximè colit Excellentiam Tuam, ita & æternitatem promovet. Poſthumam gloriam memoria facit: hæc ſcriptis & monumentis perennis eſt, & legi debet, ne intereat. Ego verò ut aliquid ingenio meo tribuam, idem ille FLORITIUS facit, verè tuus; qui famæ tuæ & honori tam impensè ſtudet. Verè meus, qui ſuum Principem, meum quoque eſſe voluit, imò videri. Ergo æternùm eris, atque videberis Magne Heros: Hoc oblivionem ſcripta mea vincant. Vitam interim longiſſimam & valetudinem precor. Lovanii, IV. Eid. May, ∞. Ↄ C. XIII.

EPIST. III.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

FRANCISCO MONCADÆ

Marchioni de Aytona, Legato Regio.

NOMEN tuum Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Legate, facere epiſtolam potuit, ut cùm Poëta dicam, MAGNUM ET MEMORABILE NOMEN: in ſolatium verò rerum ac ſtudiorum meorum ſcriptum. Si rectè calculum ponimus, Nomen, benevolentiæ teſſera eſt, epiſtolæ fides, robur ac anima ſcriptionis: non etiam quâ linguâ, ſed quo quis animo verba promat, reſpicere ſoleo, non quo colore, ſed quo affectu. Hæc naturæ tuæ bonitas eſt, ut omnem in candore ac veritate elegantiam ponas, blanditias non niſi humanitatis teſtes, prudentiæ ac virtutis comites habeas. Hæc etiam ingenii tui ſublimitas, ut nullius linguæ peregrinus, Romanâ, quæ pulcherrima eſt, tanquàm vernaculâ, utaris. Olim ſanè, quas ad me quoque exarabas litteras, admiratus ſum, & nuper ſermonem, copiâ facilem, & dignitate quadam decorum.

Excellentiæ Tuæ facies pectus meum ſtimulat, ut gratus ſim, & tantam porrò humanitatem merear. Sciet poſteritas, cæteris maximiſque virtutibus tuis affectum Litterarum non defuiſſe. Et quia æternitatis aliqua me cura rapit, ſtilo complectar generoſum illud Excellentiæ Tuæ robur, illum omni fortunâ majorem animum, denique quidquid parem te priſcis Heroibus facit. Hæc cùm dicam, nunquam ipſe moriar: & ut aptè ac tempeſtivè dicam, utar quoque auxilio ejus, qui ut maximè colit Excellentiam Tuam, ita & æternitatem promovet. Poſthumam gloriam memoria facit: hæc ſcriptis & monumentis perennis eſt, & legi debet, ne intereat. Ego verò ut aliquid ingenio meo tribuam, idem ille FLORITIUS facit, verè tuus; qui famæ tuæ & honori tam impensè ſtudet. Verè meus, qui ſuum Principem, meum quoque eſſe voluit, imò videri. Ergo æternùm eris, atque videberis Magne Heros: Hoc oblivionem ſcripta mea vincant. Vitam interim longiſſimam & valetudinem precor. Lovanii, IV. Eid. May, ꝏ. Ↄ C. XIII.

EPIST. III.

EPISTOLA III.

Bruxellam.

FRANCISCO MONCADÆ

Marchioni de Aytona, Legato Regio.

NOMEN tuum Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Legate, facere epiſtolam potuit, ut cùm Poëta dicam, MAGNUM ET MEMORABILE NOMEN: in ſolatium verò rerum ac ſtudiorum meorum ſcriptum. Si rectè calculum ponimus, Nomen, benevolentiæ teſſera eſt, epiſtolæ fides, robur ac anima ſcriptionis: non etiam quâ linguâ, ſed quo quis animo verba promat, reſpicere ſoleo, non quo colore, ſed quo affectu. Hæc naturæ tuæ bonitas eſt, ut omnem in candore ac veritate elegantiam ponas, blanditias non niſi humanitatis teſtes, prudentiæ ac virtutis comites habeas. Hæc etiam ingenii tui ſublimitas, ut nullius linguæ peregrinus, Romanâ, quæ pulcherrima eſt, tanquàm vernaculâ, utaris. Olim ſanè, quas ad me quoque exarabas litteras, admiratus ſum, & nuper ſermonem, copiâ facilem, & dignitate quadam decorum.

Imponere facundo atque exercitato ſilentium poſſis: ac rurſus tardum aut verecundum ad eloquentiam ducere. In Suada humanitas eſt, in humanitate Suada, & tanquam vultum oratio exprimat majeſtas cum familiaritate miſcetur. Animadverto interim, & meum tibi ſermonem, ac deinde ſcriptionem de ſtudiis gratam fuiſſe: quæ tuo erectus patrocinio ac favore alacriùs nunc proſequor: plenum Epiſtolarum opus, brevi, ut ſpero, producturus. Sunt & alia ſub manu; ſed an APHORISMI iſti, quorum ſpecimen mitto, priùs abſolvendi ſint, adhuc delibero. Ecce prudentiæ tuæ oraculũ conſulo. Si ad ævi noſtri uſum exiſtimabis ARISTOTELEM facere, oſtendam non fontes tantùm ſed & flumina poſſe ſcribi. Vale Lovanii, in Arce Palladis, XI. Kal. Feb. CIↃ.IↃC. XXX.

EPISTOLA IV.

Bruxellam.

FERDINANDO DANDELOT,

Aulæ Præfecto.

AD verba, & communia mihi confugiendum eſt, ut pro novo, ſed immenſo beneficio

neficio gratiam dicam. Quid majus quàm Imagine Regis dignum cenſeri? Ornari auro, in quo pretium magnum eſt; & honore tamen vincitur? Tibi debeo quicquid accepi: totam enim in me derivare liberalitatem Principis voluiſti, ut Numiſma Regium, aureumque, & è torque dependens aureo, daret. Video igitur quanti apud te CHIFFLETII, tu quanti apud Principem ſis, & quantum illa ingenii laboribus tribuat. Intellexit non proletario ſtilo IRRUPTIONES BARBARORUM IN ITALIAM ſcriptas eſſe, & tuo tamen judicio credidit non poſſe niſi auro HISTORIAM iſtam INSUBRICAM æſtimare. Te aureum verè aureum appello, qui nihil à vitiis ferrei ſæculi noſtri trahis. Totus generoſus, liberalis, rectus es; totus priſcam Majorum tuorum virtutem ac ſplendorem ſpirans. Divitias, quæ omnes fermè homines occupant, pulchrè impendere mavis, quàm anxiè cumulare, relicturus famam, cujus te tibi ipſe hæres ſis, nulla autem fata timeas. Vivent ſic quoque feliciſſimè Filii tui; licet extincti, qui fortiter agendo, & pugnando pro Rege ſuo, occubuerunt: ſed qui in patre pariter laudem apud omnem poſteritatem invenient. His quod paras monumentum, tuæ quoque virtutis exemplum erit: quod ut

ego ſcribam, ultro jam ambio, non relaturus hoc obſequio gratiam, ſed magis debiturus. Quid dicam? tot jam beneficiis tuus ſum, ut meus eſſe deſierim. Tuum igitur, quia ſatis non putâſti tuis donis ornatum eſſe, egiſti, ut luculentiſſimo munere ipſa Princeps inſigniret. Sic nunc geſto torquem, geſto Numiſma Regium, & præmio ingenii tuum me eſſe profiteor. Vale, & animum magis meum, quàm verba pondera. Hæc enim, ut dixi, communia ſunt. Ille verò & magno cultu Illuſtriſſimo Nomini tuo prorſus dedicatus: quem nomine hîc meo ſigno. Lovanii, in Arce, IX. Kal. May, ∞. I Ͻ C. X X X.

EPISTOLA V.

Bruxellam.

PHILIPPO ALBERTO DE VELASCO,

Marchioni de Belveder.

SÆPIUS ad memoriam eos ſive annos ſive menſes revoco, quibus in Arce, & contubernio meo, feliciſſima indoles tua Litterarum

rum incrementa hauſit. Quemadmodum primi igniculi erant, plenum virtutum jubar promittebant. Maturus eras, cùm creſceres, ut emineres inter omnes, ubi creviſſes, omni ad moderationem impetu, & gloriæ ſtudium revocato. Eruditio præparare animum potuit, ut & Aulæ elegantias, & Militiæ artes faciliùs capeſſeres, & dignum te ampliſſimo Legationis munere præſtares. Ita audio, à Sereniſſima Principe te electum, & conſtitutum eſſe, qui ad Fritlandiæ Ducem, officii, honoris & congratulationis cauſsâ proficiſcaris. Feliciter igitur: ut auſpicia iſta ſunt, ad Reges & Monarchas mox etiam ibis, corpore, mente, prudentiâ, facundiâ perfectum Legatum expreſſurus. Sapere & loqui duæ & præcipuæ hujus muneris partes ſunt; loci & temporis rationem habere; Mercurium & Palladem ſimul repræſentare. Sic & Mars colitur, poteritque, qui dextrè pacis negotia tractat, ad majorem belli gloriam exurgere. Ego utinam, quemadmodum animo, ita corpore comes ſim! utinam quemadmodum aliquando formavi indolem, ita virtutem coram admirer; præcepta in gaudia, mandata in obſequia commutem. Nunc quia glebæ adſcriptus ſum, abſens famæ & gloriæ tuæ applaudam, & magis magiſque primos illos tuos, ſive an-

nos ſive menſes ad memoriam revocabo. Vale & vive. Lovanii in Arce, v. Kal. Quinct. ∞. I Ↄ C. XXX.

EPISTOLA VI.

Bruxellam.

ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ,

Hiſpaniarum Infanti.

PRINCIPUM munera, quia Principum, non pretio tantùm, ſed honore æſtimanda ſunt: ignis inſtar, qui & calore fovet, & ſplendore illuſtrat. Sed gratiam referre, arduum eſt: dant enim illi, ne accipiant; quæ & Numinis conditio eſt. Quid igitur? Dicere licet, cùm referre non licet: & qui agnoſcit beneficium, in parte gratus eſt. Huc refugio, ut quantùm debeam, profiteri videar. Etenim accepi à Serenitate Tuâ munus, metallo pretioſum, quia aureum, & imagine inclytum, quia Regem exhibet. Sive ergo torquem reſpicio, obſtrictiſſimus ſum; ſive Numiſma, quâdam velut luce inſignitus. Sed hoc eſſe ingenii præmium

mium generoſiſſima liberalitas tua voluit: ut quemadmodum qui gerit pulchra; ita & qui ſcribit, decus inveniret, mente cum manu cō-paratâ. Scripſi bella, inſcripſi Regi: ſed Serenitas Tua exiſtimavit ſibi ſcripta, quæ ad exemplū pacis geſta ſunt; ſibi inſcripta, quæ laudes Regis continerent. Reliquum eſt, ut quoniam ſtilo præcipuè placui, magis etiam argumento placeam, & poſt res Inſubrum, Belgarum, id eſt Tuas, aggrediar. Ita demum maximam & luculentiſſimam vibebor Hiſtoriam ſcribere: ita vel maximè ingenium Regi conſecraturus, quem pectore gero, calamo exprimam. Vale, vive, vince. Sereniſſima DOMINA, & plenâ felicitate fruere. Lovanii in Arce XIV. Kal. Auguſti ∞. IↃC, XXX.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCHOTIO,

Supremo Belgicæ Theſaurario, poſteà Brabantiæ Cancellario.

SÆPIUS animo humanitatem cæteraſque virtutes tuas revolvo, quibus & me, & ipſa

ipſa tibi litterarum ſtudia obſtricta habes. Quàm familiariter, quàm candidè mecum nuper, cùm de Ærario ego pietatis agerem! Tu BORNITII Diſſertationem tam benignè communicares! Particeps menſæ, etiam Bibliothecæ fui, ut gemino exceptus convivio, non hilarior tantùm diſcederem, ſed & doctior. Quid tamen eſt? Sermo tuus & menſa ſemper, & Bibliotheca eſt. Quidquid fercula habent, quicquid libri, ſubminiſtrat. O ſæpius ſic detur colloqui! O aliquando & meam in Arce menſam, & Bibliothecam tuas eſſe delicias velis. In Arce, inquam, per menſes hos æſtivos non uno loco inſtauratâ. Colligam ratiunculam, & quid expenſum ſit, perſcribam. Quia huc me ſermo ducit, aliud nunc conſilium meum aperio. Ulmetum plantare circa Arcem conſtitui. Solum enim hoc hæ arbores amant. Quod fœnus vbi excreverint! Hic meus erga locum mihi commiſſum affectus eſt, quem ut muneri debeo, ita loco impendo. Valetudo ſatis jam proſpera eſt, & ad uberiorem aliquam ſcriptionem invitat. Nunc ut ſuffragium hoc legas rogo. Non quidem novum, ſed innovatum eſt: imò novum, ſi non videris. Quia breve eſt, moleſtum non erit. Vale. Lovanii, in Arce Prid. Kal. Januarii, ∞. I Ɔ C. X X X.

EPIS-

Epistola VIII.

Eidem.

Rem magnam exiguâ ſcriptione complexus ſum, ut in orbe terrarum principium dierum conſtitueretur. Defuiſſe hactenus, nunc etiam Viri Docti mirabuntur; quos omnes ad examen novi circuli vocare volui. Te licet magnum, tamen inter Doctos veneror, ideoque familiariùs audeo compellare. Ut legas & cenſeas rogo, hoc Docti erit: ut ames & defendas, hoc magni. Ecce tanquam placeat quam mitto inventionis nouitas, ad Patronum veniat, & cenſuræ ſecurus, tutelam imploro. Dicent fortaſſis aliqui, me dum lineam hanc duco, à linea ſtudiorum meorum abire. Sed profectò inter litteras & lineas cognatio eſt; neque ad Philologiam ulla magis ſcientia quàm Mathematica accedit, mihi culta ſemper, ut ampliùs præſtarem in litteris, ac nobiliore conatu ad veram laudem ingenium excitarem. Quid utilius hoc tempore potui, quam dare omnibus quod tempora omnia ordines, & ſine quo nemo unquam ætatem computavit? Tandem igitur, quid ſit, & quomodo ſe habeat dies, homines intelligent: ſuum autem

autem & ſacra & commercia ordinem obtinebit. Vale, & brevi uberiorem ſcriptionem, poſt Lineam Pompam expecta, Amplius amabis & defendes pauca, quando plura, eadem tamen videbis. Lovanii, in Arce, XV. Kal. Sextil. ∞. IↃC. XXXI.

EPISTOLA IX.

Bruxellam.

GUILIELMO DE HAMAL,

Comiti de Gommigny, & S. Imperii.

NON ſine rubore laudes in me effuſas legi: an ſtricturas dicam? à mero virtutis tuæ igni. Ut magnus & cœleſti naturâ præditus es; ita neſcire amas, mediocre eſſe, ſi quid ingenio aut induſtriâ aſſurgit. Etenim ne humi jacerem, & numerum duntaxat augerem mortalium; mentem bonarum ſtudiis artium excolui. Sed profectò nunc tandem evehi me ſentio, quia Illuſtriſſimâ affectus tui aurâ circumfundor. Quæ hæc humanitas tua? Quæ mea felicitas? Ut ingenuè dicam, non eligere amicum, ſed facere voluiſti, tanquam pluris

pluris eſſet Muſarum ſtudia, quàm fortunæ ornamenta ad familiaritatem vocare. Quid igitur? ut me ames, te ipſum minorem facis; & oblitus tuæ, meam conditionem æſtimas. Omnia in te ſplendida ſunt, in me obſcura aut crepera: ad tenebras ſi accedis, ut quantùm poſſit lumen intelligam; tuo audebo clarus affectu fieri, tuum cultu & obſequio affectum promereri. Ita vale Illuſtriſſime Domine, & me heroicæ virtuti & gloriæ tuæ verè mancipatum habe. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Feb. ∞. I Ɔ C. XXXII.

EPISTOLA X.

Bruxellam.

CLAUDIO BALANSONIO,

Summo Tormentorum Bellicorum Præfecto.

NESCIO quo ſatis affectu, quo cultu agnoſcam beneficium, quod Filio meo datum eſt, in me autem derivatum. Quantùm ego dicere non poſſum, ille conabitur facere, & ſe dignum Militiâ, obſequioſum verò imperiis

periis tuis præſtare. Votum meum ſanè eſt, ut quemadmodum adſcriptus eſt, ita jam exerceatur: ut, inquam, ad labores veniat, qui ne otioſus eſſet, miles fieri, & potiſſimùm tuus, voluit. Quoties te adſpiciet, virtutis admonebitur; quoties mandata tua excipiet, ipſa etiam pericula ſuavia erunt; diſcet omnia agere, & pati Romano more; quia Ducem ſuum ſequetur. Itaque ampliùs deinceps erit in conſpectu tuo verſari, quàm adſcriptum eſſe: & ſecundum hoc jam beneficium putabo, vocari filium, ut occupari poſſit, tantò feliciorem verò, quantò propiùs Duci ſuo aderit, quem præterea tanquam patrem revereatur. Ut omnia dicam, Tibi eum Illuſtriſſime Domine, mancipatum eſſe cupio, ſub tua diſciplina virtutem capeſcere, ut honoris capax ſit. Hunc totum ad gloriam tuam referet: & ego aliquem ingenii conatum, quo admirandum Tormentorum, quæ ſummo imperio regis, uſum, & vim plus quàm fulmineam explicare conſtitui. Ita vale & vive. Lovanii, in Arce. III. Eid. Mart. CIↃ. IↃ C. XXXII.

EPIST. XI.

EPISTOLA XI.

Bruxellam.

CLAUDIO D'OGNIES,

Comiti de Coupigny, Sanctioris Ærarii Præfecto.

VT litteras & Nomen tuum vidi, intimo animi gaudio exilii; ſolitam illæ & ſingularem humanitatem, veræque ſapientiæ Comitem auram ſpirant: hoc, ſuo inclytum lumine non me ſinit, tam familiariter ſe diffundens, obſcurum jacêre. Et quidni igitur velim cupiamque in contubernium meum, & magis animum, recipere adoleſcentem tam egregiè natum, qui multum quoque à ſe ſplendoris allaturus eſt; qui talem Patrem, talemque Avunculum habet. Ne plura dicam, obſequium meum profiteor; ut ſic magis imperio utriuſque dignus ſim, & aliquam Patris, aliquam Avunculi curam exprimam, quæ à naturæ officio, & ſanguinis neceſſitudine ad diſciplinæ rationem ſe extendit. Facilis erit profectus, ſi modus erit: hunc autem

non conſuetudine ævi, ſed exemplo Antiquitatis præſcribam. Deus aderit, & felix hoc contubernium, proſperam educationem faciet. De me ut addam, nolo felix eſſe, niſi tuus ſim, nolo proſpera eſſe ſtudia mea, niſi gloriæ tuæ & Excellentiſſimi Comitis SOLRANI, mancipentur. Ita Vale. Lovanii in Arce, VIII. Kal. April. ∞.IↃC.XXXII

EPISTOLA XII.

Duſſeldorpium.

WOLFANGO WILHELMO,

Duci Neoburgico.

QUæ Italicè, & à Cardinali BENTIVOLO de bello Juliacenſi ſcripta, nuper Celſitudini Tuæ obtuli, Latinè à me verſa, nunc mitto. Aliam eſſe ſcribentis felicitatem, aliam neceſſitatem vertentis, ipſe profiteor: meum tamen fuit RELATIONEM ISTAM, ſenſu eandem, idiomate diverſam, priuſquam ab aliis legeretur, Sereniſſimo judicio tuo exhibere. Ipſa argumento tua eſt, & ego obſequii nexu; hanc unam deinceps fortu-

nam

nam æſtimaturus, quia ingenii licebit opera, id eſt vitæ meæ vitam gloriæ tuæ conſecrare. Cape igitur, Magne Princeps, hanc mancipatæ voluntatis teſſeram, & ſimul hunc juvenem, LEONARDUM INGENRADIUM Sororis meæ filium, quem virtutis & doctrinæ commendat indoles, ad cultum tuum admitte. Mea & ſua ſimul vota aperiet, quæ ſunt, ut tui ſimus; licet jam ſumus. Lovanii, in Arce, Nonis April: ꝏ. I Ↄ C. XXXII.

EPISTOLA XIII.

Bruxellam.

GONSALVO DE CORDUA,

Militiæ Regiæ per Germaniam Summo Stratego.

CUltum tacitus huc uſque magnis & Martem ſimulque Pietatem ſpirantibus virtutibus detuli, quæ jam pridem nomen tuum inter Heroes collocaverunt. Diutius ſilere piaculum cenſui: præſertim cùm tam vicino rurſus lumine excitari me ſentiam. Aliqui etiam nuper benignitatis tuæ radii in

me abſentem derivati ſunt, cum labores meos, quos HISTORIAE INSUBRICAE impendebam, Senator RAUDENSIS etiam in Caſtris tibi Italicis imperanti, per partes exhiberet. Totum nunc opus offerre, & me, filiumque hunc meum Famæ tuæ ſacrare audeo. Ut INSUBRICA ſcripſi: ita ad tua tranferre calamum volupe erit; & peculiari libro ſive elogio victorias tuas complecti. Ita demum loqui videbor, ita cultum meum virtutibus tuis, ut dixi, debitum non apud eos tantùm qui jam ſunt, ſed qui aliquando erunt, incipiam profiteri. Vale ad gloriam nate Heros, & familiari me affectu dignare. Lovanii, in Arce, XVI. Kal. Maii, CIↃ.IↃC.XXXII.

EPISTOLA XIV.

Bruxellam.

JOANNI CROYACO,

Comiti Solrano, Aurei Velleris Equiti.

BENIGNUM admodum de me & familia mea Excellentiæ Tuæ judicium fuit: quæ

quæ pariter mei & familiæ meæ, pretioſiſſimum quod habet pignus, generoſiſſimæ indolis Filium, eſſe dignata eſt. Non libenter tantùm, ſed avidè eum excepi, & ut affectum meum teſtarer, complexus ſum; ut cultum, veneratus. Quantùm familiaritate pecco, reverentiâ diluo: felix, quod formare poſſum, qui tanto natus Patre, ad magna omnia, ipſo virtutis Genio, aſſurgit. Vivere & habitare ubique poterat; ſed ne fruſtra in hac Palladis Arce, quæ aliquando Principum noſtrorum adoleſcentiam ac ſtudia aluit, collocatus ſit; imò ne fruſtra curæ meæ traditus, quantùm in me erit, ſedulò adnitar. Habet Rectorem ſuum D. GODINUM, egregiâ prudentiâ ac virtute Virum, qui omnes muneris ſui partes perfectiſſimè implet. Tanquam paratam nanciſcar terram, eruditionis ſemina ſpargo: fructum promittit ipſe copioſum, qui & Rectorem ſuum alacriter ſequitur, & me ardenter audit. Aderit Deus, & implebit vota ſua, ut ſemper ego Excellentiæ Tuæ mancipatus vivam. Lovanii, in Arce, Kal. Maii. ∞. I Ↄ C. XXXII.

EPISTOLA XV.

Bruxellam.

CLAUDIO BALANSONIO

Summo Tormentorum Bellicorum Præfecto.

MAgna virtus non poteſt humanitate carere, quæ generoſiſſimum pectus tuum inprimis occupavit: claris jam famæ radiis reſplendens; ſed cùm publicæ virtuti omnes, nos peculiariter humanitati tuæ debemus: ego filii cauſsâ, & filius meâ. Vitam accepiſſe viſus eſt quia ſollicitè, juſſu tuo in morbo ſuo curatus; quia amanter deinde domum miſſus, ut novo aëre recreatus, priſtinam valetudinem reciperet. Sanè primis diebus ſatis commodè egit; ſed naturæ vis occulta adhuc morbi ſemina expulſura, graviùs mox valetudinem afflixit. Cùm extrema imminerent, & jam amiſiſſe filium viderer, firmiùs recuperavi. Etenim convaleſcere ſubitò cœpit, & paucis diebus ad vigorem rediit. Satis igitur jam robuſtus eſt, ut denuo munus

munus ſuum in Caſtris exſequatur, & obſequia Illuſtriſſimis mandatis tuis deferat. Ita affectus, ut morbum putet in otio verſari, vitam & valetudinem in tua gratia ponat. Itaque ſi humanitas tua annuit, denuo venturus eſt, ut ſe tuum eſſe teſtetur, & me magis tuum. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Octob. ∞.IↃC.XXXII.

EPISTOLA XVI.

Bruxellam.

ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ,

Hiſpaniarum Infanti.

Non me terrebit Serenitatis Tuæ ſplendor, ubi benignitatis allicit aura & invitat. Aliquoties jam expertus ſum gratum ſermonem eſſe & calamum, qui virtutis teſtimonio impenditur. Majori verò licebit hoc tempore fiduciâ agere; quia Virum commendo, quem ipſa virtus complexa eſt. Majorum ſuorum ornatum decore notum maximè S. T. continuò per decennium in Regia hac

Aula obſequio, quod exemplum poſſum nominare, PHILIPPUS ille CHIFFLETIUS eſt Juriſconſultus & S.T. à Domeſticis Sacris, quem à Bello fonte, ad Bellam vallem; ipſum etiam videtur nomen vocare. Quod ſi aliquo apud Serenitatem Tuam loco teſtimonium meum erit, dicam quantùm modeſtia permittit liberè. Eum mihi à plurimis annis notum fuiſſe, in domo & contubernio meo adoleſcentem ætate, virum moribus vixiſſe: cujus cùm ſuaviſſimam indolem, & à vitiis omnibus alienam perſpicerem; conſtanti dignam affectu cenſui, & magis magiſque deinceps inveni. Non profectò de homine aut novitio aut ſubreptitio ago. Novit enim S.T. tanquam domeſticum: novit & Fratrem ejus Jo. JACOBUM Archiatrum Regium: novit nonniſi per virtutis viam, & quam à majoribus ſtratam invenerant, in hanc Aulam ingreſſum, utrumque eſſe. LAURENTIUS CHIFFLETIUS Avus utriuſque, à Principibus noſtris non unâ occaſione rebus agendis admotus fuit. Ab Inviciſſimo CAROLO V. S.T. Avo ad Supremam Burgundiæ Curiam evectus, multiſque prærogativis nobilitatus, titulum quoque Comitis Sacri Palatii accepit, PETRUS POTIERIUS Avunculus, eodem

eodem munere à Rege PHILIPPO S. T. Patre inſignitus eſt. Orator ad Cameracenſes, cùm à Comite Fontano Urbs obſideretur, miſſus, magna deditionis pars fuit. Sed ipſe Jo. Jacobus S. T. Medicus à Cubiculis, nullum ſibi laborem gravem, nullum iter moleſtum cenſuit, quod juſſu S. T. ſuſciperetur. In Hiſpaniam, ut commoda promoveret Regia, profectus eſt, ubi rebus egregiè peractis, quanti habitus ſit, honores accepti indicant. Rex prærogativam ei Cubiculi indulſit: reliqui publicè profeſſi ſunt, huic uni potiſſimùm fidei ac diligentis obſequii elogium deberi. Vivit ille verò hac laude lætus, & his pergit virtutibus ad verum decus eniti: vivit, ſed ab aliorum adhuc felicitate remotus, qui S. T. liberalitatem copioſè ad ſe derivant. Scio ego & affirmare poſſum Regio eum muneri, & peculium ſuum, & valetudinem, imò vitam impendere; in id intentum maximè, ut integritatis famam apud omnes mereatur: Principibus verò ubique doctrinæ & virtutis profeſſione placeat. Ad eum redeo quem commendo, dignum majoribus ſuis, dignum fratre, dignum laudis teſtimonio, quod meâ ſponte, meritis ejus libens perſolvo. Quem non ſplendorem exiguo, & curæ ſuæ nuper

mandato Sacerdotio attulit? FONTEM verò BELLUM fecit; ſordes & vilitatem abſterſit, exulantem Virginis cultum piiſſimè reduxit. Unus hic neceſſarius erat, ut è ruinis ſuis fama loci, ex illuvie ſua puritas fontis reſurgeret; extincta quaſi Pietas populo redderetur. Hæc igitur CHIFFLETIUS, qui, ſi anguſtiis puſillæ Provinciæ abditus lateret, evocandus eſſet, imò rogandus eſſet, ut ad novum hoc munus ſe transferri pateretur; ſacrum munus non aliâ manu in priſtinum dignitatis gradum (ſine ambitione dicam) revocandum. Intelligo verò glorioſum S. PETRI TARENTASII Corpus in Templo BELLEVALENSI depoſitum eſſe; ubi interceſſione ejus frequentia Deus ſolet miracula patrare. Intelligo etiam in ejusdē Abbatiæ Archivis diverſa & ſingularia documenta ſervari, è quibus copioſa hiſtoria hauriatur. Sed quis hoc meliùs præſtet, quàm qui maximo affectu omnem Sacræ Antiquitatis memoriam proſequitur & colit? Quàm qui in curam & cuſtodiam ſuam recepta religioſiſſimè habet? Quàm qui cogitationes ſuas omnes ad publicam utilitatem confert? Qui pius & prudens, accuratus & elegans, ſingulari ingenio & eloquio inſtructus? Cùm has dotes adferat, nihil mirum eſt, bonorum omnium

man ibus

manibus eum duci, ſuffragiis commendari, encomiis extolli. Amatur à bonis, & hoc ad laudem ſatis: amatur à S. T. & hoc amplius eſt, quàm ab omnibus laudari. Nil hactenus in Belgio noſtro ad rem ſuam agendam petiit: ac ne moleſtus eſſet, expectare occaſionem Beneficii, quàm captare maluit; meritis, quàm verbis agere, ut ad prœmia, ſalvâ ſemper verecundiâ, perveniret. Non igitur ſinet S. T. poſt tam fidele tot annorum obſequium, hominem virtuti natum, vacuum abire: non ſinet eum, qui ſe totum benignitati S. T. commiſit, occaſione jam oblatâ, tanquam præteritum videri. Ut hæc tempora & momenta rerum ſunt, facilè S. T. fuit inter veros & fucatos Miniſtros diſtinguere, ſed quàm ille minas eorum, qui à fide obſequii deſciverant, flocci fecerit, notum eſt. Quin imò voces ejus non ſemel auditæ ſunt; Glorioſum ſe fore, ſi pro cauſſa Dei, quæ eadem S. T. eſt, ſanguinem & vitam effunderet: amplius ſi impendi poſſet, non recuſaturum etiam per cruciatus & tormenta mori. Quare cùm delictis pœnæ conſtitutæ ſunt; ſic in delicta egiſſe & dixiſſe, quo non prœmio æſtimandum eſt? Sed Eccleſia ipſa, ut ſpero, fructum colliget beneficii, quod Miniſtro tam bono, fideli, conſtanti S. T. datura eſt: modum

verò

verò & vires hoc ille beneficio accipiet, benè de Eccleſia, benè de S. T. merendi. Scripſi Lovanii, in Arce, Pro Prid. Kal. Anni novi ∞. ɪↃ c. xxxiii. quem ut lætiſſimum Serenitas Tua habeat, lætum Chiffletio faciat, Deum hominem natum rogo.

EPISTOLA XVII.

In Caſtra.

FRANCISCO MONCADÆ

Marchioni de Aytona, Militiæ Regiæ Summo Præfecto.

AD armatum Pacis habitu venio, & quæ glorioſiſſimo Nomini tuo conſecrata ſcripſi & ſcripta conſecravi, Amici, & tamen militis manu offero. Si tantillum in Caſtris otii aut quietis, Diatribâ Istâ oculos paullulum animumque oblecta. Non inſuave fortaſſis erit, etiam in Martis conſortium Palladem hanc noſtram admittere; Bellum Pace, vel Pace Bellum æſtimare. Sic Bello vince, ut in poteſtate Pacem habeas. Hanc Belgis dediſſe, omnibus aliorum victoriis

riis ac triumphis majus erit. Ego verò rogare Excellentiam tuam audeo, ut aliquem ſibi hominem habeat, intelligentem ac ſedulum, qui quæ quotidie geruntur, memoriæ cauſsâ ſubnotet. Ita ad Hiſtoriam ritè ſcribendam præparatum erit argumentum: & occupare ego ſtilum faciliùs incipiam. Ita vale & hoc etiam amico milite ad GLORIAM TUAM UTERE. Lovanii, in Arce, Prid. Non Jul. ∞. IↃC. XXXIII.

EPISTOLA XVIII.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. Iacobi, Legato Regio.

AUDEBO, Magne Heros, animum affectu ſequi, & è remoto Belgarum ſolo, Te Solem Litterarum venerari. Qui ubique luces, illuſtras omnia: luces ingenio aureiſque ſcriptis, quæ ubique æſtimantur. Novum etiam orbem non famâ tantùm, ſed dignitate complexus,

complexus, maria ſimul, totumque conſiliis tuis Neptunum regis, ut terram ſtabilias. Hinc ſanè diſcimus, quid eruditio poſſit, & quibus omnino modis publica atque Regia munia exornentur. Sed quemadmodum doctiſſimus ingenii quodam miraculo, ita exemplo humaniſſimus es, & in me quoque aliquem ſplendoris radium flectis. Non me ſinit LANGRENUS meus, Vir ad Matheſim factus, felicitatem meam ignorare. Sed cùm verſus aliquos meos nuper miſerim, quidni & cultum, Nomini tuo debitum, ſcriptione explicem? Miſi verſus, ut totam ſive Muſam, ſive Minervam meam deberem: quæ ſi aliquo fortaſſis patrocinio digna eſt, tuo aſſurget. Surgam ipſe, ut tuus & ſic tutus ſim, triginta autem trium annorum labores Regiæ Cathedræ & Gloriæ impenſos, à ſterilitate removerem. Summa voti eſt, ut gratia mihi COMITIS DUCIS integra ſit, quâ potiſſimùm & ſpes & ratio ſtudiorum meorum nititur, rerum quies & ſecuritas. Quid porrò moliar proximis indicabo litteris, librum de UNO & OMNI miſſurus, quem virtutum tuarum elogio extollere conatus ſum. Ut amœnus eſſem, hoc tractavi argumentum, cùm triſtiori vultu fortuna minaretur. Tu mihi manum Vir Magne, porrige, & tutus ut dixi,

ut dixi, ero. Vale, Vive, & permitte, ut tuo deinceps beneficio ac patrocinio Litteras tractem. Lovanii, in Arce, III. Eid. Decemb. ∞.IↃC.XXXIII

EPISTOLA XIX.

Bruxellam.

FRANCISCO MONCADÆ,

Marchioni de Aytona, Summo Belgicæ Stratego.

Cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Res omnes armis tuearis, moribus omnes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora.

LIBRUM hunc mitto, qui de UNO eſt, & gratior jam omnibus, quia Excellentiſſimi Nominis Tui elogium continet: quem UNUM laudibus omnibus nemo non dignum exiſtimat. Felices Belgæ tali Rectore, ad imperium virtutes omnes adferente, Litterasque; adferente fortunam, quæ virtutibus Litteriſque obnoxia eſt. Qui feliciſſimè olim

mè olim pugnârunt, optimi doctiſſimique habiti ſunt. EPAMINONDAS etiam philoſophari auſus eſt, unus ille propemodum ad exemplum omnium natus: quem in hac amœnitate, cap. XXVI. tanquam UNUM repræſentavi. Quid ſit Unum eſſe, tuum nunc imperium, Tuæque victoriæ oſtendent. Has ſi ſcribere mihi liceat, unus etiam ero. Sic me, Excellentiſſime Domine & Patrone, oſtende tuum eſſe, ut unum facias. Lovanii, in Arce III. Kal. Febr. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XX.

Bruxellam.

EIDEM.

UNa Epiſtola tua, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, & magne Litterarum Patrone, quidquid ſcripſi hactenus, quidquid miſi, longè ſuperat; una quæ inſtar multarum eſt, & brevitate ſuâ eloquentiam includit, elegantiam, majeſtatem: ſic verò compellari laudem puto: quam parcè dedi, uberiùs refuſam video, nimirum, ut ſic quoque ingenium meum vincas, qui vincere hoſtes potes. IDEAM nunc HEROICAM paro;

paro; unius quoque, ſed Principis optimæ, & in cœlum receptæ: ſi hîc perſolvero, quod virtutibus tuis debetur, ad cœlum ipſe aſſurgam; ingratus autem ſim, niſi perſolvam. Vale Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Togæ & Sagi Decus, & me amare perge. Hoc ſolo affectu lætus, clarus, felix ero, quia tuus. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Mart. ꝏ.IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XXI.

Bruxellam.

PRÆFECTIS ET ASSESSORIBUS

Ærarii Sanctioris Regii.

NOVO ornatus beneficio, quod ſtipendiorum ſolutionem ſpectat, inter varias curas reſpirare potui. Gratiam igitur, quantam poſſum maximam ſcribo: ſed non adhuc lætus, niſi & lætum fratrem meum, PRAETOREM RURAEMUNDENSEM, videam: qui non ob aliam cauſſam miſe

eſt, quàm quia fidelis & conſtans fuit. Quod nunc petit munus Antilogiſtæ vectigalium Rhenenſium tanquam à Deo oblatum videtur: nemini autem rectiùs hoc tempore conferendum. Adfert plenam peritiam, integritatem, diligentiam; non minori fide ac censurâ rationes iſtas adminiſtraturus, quàm præturam ſuam reliquit. Occaſio jam velut præparata eſt: longum & incertum eſt, aliam expectare. Ne ſinite, quæſo, fortunam optimi fratris mei diutius hoſtibus ludibrio eſſe: quamdiu hic patitur, ſe triumphare putant. Ego ſimul patior, niſi erigatur. Quod petit, ego peto, quod ego, omnes boni. Veſtra bonitas quia præmium virtuti tribuet, novâ apud omnes gloriâ fulgebit; novum famæ cumulum faciet. Valete, vivite, Illuſtriſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi Domini, & IDEAM iſtam HEROICAM, velut obligationis meæ teſſeram habete. Lovanii, in Arce, VII. Eid. Julii, ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XXII.

Bruxellam.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

TE adſpicio ſidus meum, & à benigno virtutum tuarum lumine vigorem ſumo. Omnes poſſides; ſed unâ potiſſimùm ornas, quam modeſtiam appellamus: verè magnus, quia eſſe, quàm videri mavis, & cum fortuna ſapientiam potes conjungere; ad me demittis humanitatis affectum, & quomodo aſſurgere non audeam? Erigis Litteras, & me ſimul jacentem attollis, ut felicem facias. Jam certè eſſe incipio, quia tuus ſum; quia in ipſa cœleſtis benevolentiæ adyta admiſſus. Circumfundor luce tuâ; obſcurus eſſe non poſſum. Novâ aurâ imbuor; fœcundus fio. Lego hanc IDEAM meam; & hanc auram, hanc lucem agnoſces. Agnoſces profectò, à tuo mihi genio animos creviſſe. Alia molior, ut propiore aliquo munere, quantùm

obſtrictus ſim, teſtatum relinquam; videant omnes, quod dixi, te ſidus meum eſſe. Ita Vale, Illuſtriſſime Domine, & virtutibus tuis elegantiisque ornare perge, quantum REX MAGNUS poſſidet. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Jul. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XXIII.

Bruxellam.

THOMÆ LOPEZ,

Baroni de Limal, poſteà Comiti de Rodes.

ELegantiſſimus ille genius tuus, heroicam prorſus humanitatem ſpirans, ita me cepit nuper, ut meus jam non ſim, niſi me oſtendam tuum eſſe. Libros tracto: tu unus ille es, qui his gloriari ornamentis potes. Studia colo: tu ille qui intelligis ornamenta eſſe; qui aliquid mihi tribuis, librorum & Studiorum cauſsâ. Hoc modo obſtrictum ſanè ingenium habes; ut velim tuos eſſe quos tracto; tua, quæ colo. Te Patrono, anguſta mihi unius ævi, unius orbis fama ſit. Auſim, ſi me

me ſinis tuum eſſe, non mori. Tuus autem ero, ſi nomine tuo meum voles ſurgere: ſi aliquam ſcriptorum meorum partem, gloriæ tuæ dededicandam admittes. PURPURAM à typographo expecto AUSTRIACAM, quâ Virtutes Sereniſſimi Principis & Cardinalis FERDINANDI adumbravi: à Capite verò nónne licebit ad præcipua regiminis membra cultum ingenii transferre? Summam Exercitus Regii Quæſturam gerere quantum munus eſt! Tuum eſt. Sic Martis tractas diſciplinam, ut à Pallade non recedas. Facis, ut hæc Numina felici copulâ conjungantur. Sed cùm PURPURAM videbis, de optima voluntate mea ſtatues: audebo certè, etiam tuo arbitrio, ſcribendi induſtriam cuicumque argumento applicare. Tanquam ædificium conſtruam, architectum te agnoſcam. Si voles, etiam ſtilo miles ero inventurus in caſtris, quod oratione explicetur; in Familia tua, quod ad caſtra faciat. Quorſum plura? dicet qui litteras haſce porriget CONTRERAS meus: ſed quem ſatis non amo, niſi & tuum faciam: ita enim verè ipſe videbor tuus eſſe; ac accipere beneficium, quod in illum conferetur. Præfecturam turmæ equitum petit; ſed meretur. Petit, quam vicario muniere, in militia Regia adminiſtrat. Commendare virtu-

tem ejus Sereniſſimo Principi THOMAE auſus fui: ne fruſtra commendaverim, favor tuus faciet. Favor ab eodem Nomine, quod in Principe Serenitatis, in te Humanitatis ſymbolum eſt. Non poteſt autem humanitas ab Serenitate ſeparari. Ita vale, Lovanii, in Arce, xv. Kal. Mart. ∞. I Ɔ C. XXXV.

EPISTOLA XXIV.

Bruxellam.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

SATIS jam clarus ero, ſi doctrinam tuam, & curioſam ſcribendi felicitatem colam. O epiſtolam verè elegantem, auream, amicam! O carmina, quæ admiror, imò veneror. Sic te Latinè, ſic & Græcè ſcribere! Utramque verò Antiquitatem ingenio ac nitore provocant. Video, video, vatem:

Sed vatem egregium, cui non ſit publica vena.

Deſcribis dapes, & verſus dapes ſunt: me laudas, ut amare videaris. Æſtuo gemino Epigram-

Epigrammate iſto, ſed tanquam vino: non poſſum ſtilum niſi Thyrſum appellare. Breviter meus non ſum; ac triſtiſſimos hoſce pietate ſuâ dies inſolito cogor eruditionis gaudio violare. Dedit delicias Illuſtriſſimus CRUCEUS convivio ſuo: tu ingenio. Nónne convivium ingenio facis? Hoc eſt igitur epulari, & lautum eſſe: hoc eſt verè in Apolline. Quid etiam? Oſtendis ſacram Cereris Bacchique voluptatem, ut ſemper jam prandere videar: ſemper præbere convivium liberaliſſimus CRUCEUS, quia à te deſcriptum eſt. Illi ergo ſæpiùs debeo, tibi ſemper, æterno cultu tuus. Lovanii, in Arce, VII. Eid. April. ∞. IↃC. XXXV.

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

EMANUELI DE GUSMAN,

Equiti S. Iacobi, Magno Principis Eleëmoſynario.

INVITARE me humanitas tua potuit, ut ad cætera magnitudinis lumina oculos

nuper, & vocem attollerem; nunc etiam ad ſcriptionem veniam, quam vocis vicem ſoleo appellare. Sed ſive linguam ſive calamum uſurpem, animus loquitur, & interiora pectoris, magno affectu æſtuantis repræſentat. Tua me incendere virtus potuit, par generi, & nobilitati: tuum nomen, quâ dignitate, eâ gloriâ circumfuſum, Majeſtas ipſa corporis divinam quandam naturam exprimens, in admirationem ſui trahit. Nolo dicere omnia, cùm ſingula cultum mereantur, ac provocent: cupio verò tuus eſſe, ut & omnia & ſingula familiariùs venerer: vel potiùs venerari pergam, ut tuus ſim; ut, quæ ingenio molior, dicam mea eſſe, ſi tua fiant. PURPURAM quidem AUSTRIACAM ſic dedi nuper, & me inſinuare auſus ſum: nunc Hiſtoriam hanc utramque mitto, ut promittam, quæ ingenii reliqua ſunt, & omnem quæ ingenio continetur, fortunam offeram. PURPURA placuerit, quia Sereniſſimo FERDINANDO ſcripta & inſcripta: placeat, quæſo, Hiſtoria, quia ad ipſum Regem noſtrum Opt. Max. directa eſt, & vaſto varioque argumento IRRUPTIONES BARBARORUM IN ITALIAM CONTINET. Hoc verò erat, occaſum Imperii Romani exhibere. Paullò etiam animoſiùs vitam JO. JACOBI

MEDICAEI Inſubris aggreſſus ſum, ut tempora CAROLI V. Invictiſſimi Imperatoris, ac Bella adumbrarem. Fave conatibus meis, ut tuo patrocinio ad plenum fructum veniant: fave huic amico meo, qui non minùs arma, quàm ego Litteras, complectitur: qui non minùs tuus eſſe cupit, quàm ego: qui ſuâ mihi virtute oſtendere poteſt, quomodo tuus fiam. Hiſpanus eſt, & me quoque Hiſpanum facit: CONTRERAS eſt, & Puteani nomen æſtimat. Vale, Lovanii, in Arce, IV. Eid. April. ∞. IↃ C. XXXV.

EPISTOLA XXVI.

Antverpiam.

CONSULIBUS, S. P. Q. ANTVERPIENSI.

URBEM veſtram, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi Domini, unicum Belgicæ ornamentum eſſe, ſplendidiſſimum inter reliquas, ut ſic dicam, ſtellas ſidus, ultima admirandæ magnificentiæ ſpectacula orbi terrarum conteſtantur. Quid omnes poſ-

ſent populi, ſoli oſtendiſtis; quid non poſſent, ipſe introitu ſuo Sereniſſimus Princeps deprehendit. Hæc illa pompa eſt, quæ ſummo ingenio, arte, elegantiâ explicata, in unam urbem non unam collegit provinciam; ut hîc tandem ſpectaretur Princeps, ubi dignum ille magnitudine ſuâ triumphum inveniret. Sumptus non miror; majus obſequium eſt. Tanti etiam erat, exigere à viribus, quicquid amor flagitaret, dignum Rege & Fratre Regis eſſet: imò tanti erat, vincere fortunam temporum, & in ipſis rerum anguſtiis Purpurati Principis victorias celebrare. Quot arcus triumphales, machinæ, pegmata, tot judicio publico miracula ſunt; deſcribi digna & legi, ut ſemper, & ab omnibus ubique, quantum eſt eritque hominum, videantur. Litterarum hoc beneficium eſt, quæ non minùs ſunt veſtræ, quàm reliquæ artes & elegantiæ: imò typorum eſt, qui in Veſtra potuerunt Urbe pares Litteris eſſe, & æternitati ſufficere. Utinam & ego in civium veſtrorum numero ſim! Utinam aliquid ſive laboris, ſiue ingenii ad hanc operam conferam! Utinam toto ſtudiorum obſequio veſtrum me auſim profiteri! Hoc ſaltem ambio, ut opera mea omnia, in corpus unum collecta, veſtra ſint, & Urbis Veſtræ ſubnixa Genio, ævi

vincant

vincant injuriam, & apud alios aliquando homines legantur, Varia ſunt; ſed quod proximâ fœturâ PURPURAE AUSTRIACAE titulo natum eſt FERDINANDI ſe imagine inſinuans, oculis & benevolentiæ veſtræ ſubjicio. Tam gratum, ut ſpero, munus erit, quàm comparatione ſuâ oſtendet, parvum eſſe, quicquid poſt ſpectacula veſtra, nunquam ſatis landanda, offeretur. Non ea quidem uſurpavi obtutu (tam enim felicem me eſſe valetudo non ſivit) ſed animo: adfui, dum abfui; vidi, quæ non vidi, quæ citiùs admirari quiſque cœpit, quàm videre. Veſtra erant, & hoc ſatis, ut ſumma eſſent, & opinionem omnium ſuperarent. Erunt etiam, ſi diſſolutis operibus, tuto & opportuno loco ſive picturæ, ſive ſimulacra, ſive alia emblemata & ornamenta collocabuntur. Si quid fortè reliquiarum ſupererit, rogo, ut dignum liberalitate veſtrâ Arcis, quam incolo, atrium cenſeatis. Palladis hîc locus eſt, & ornari dignus: Regius eſt, & ornari potiſſimùm à vobis; qui ut ſummum Regi, Fratrique Regis cultum deferretis, veſtram eſſe Palladem oſtendiſtis. Quicquid hîc conſpicuum erit, tanquam publicum, & veſtrum conſervabitur: quiſquis Arcem luſtrabit, magnificentiæ veſtræ monumenta adſpiciet;

ciet; ad memoriam revocabit, quæ vidiſſe, ſuave aliquando erit. An addo? Princeps ipſe Arcem aliquando viſurus, novum à ſpectaculorum reliquiis gaudium capiet. Ita vobis Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi Domini, me totum, & ſtudia mea commendo, felix, ſi PATRONOS licebit appellare. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Maii, ∞. IↃC.XXXV.

EPISTOLA XXVII.

Bruxellam.

CLAUDIO D'OGNIES,

Comiti de Coupigny, Ærarii Sanctioris Præfecto Regio.

OFficii mei eſſe arbitratus ſum, Arcis, quam incolo Regiæ neceſſitates Illuſtriſſimæ Tuæ humanitati commendare. In tempore niſi minora vitia emendentur, majora fiunt: & creſcunt ſumptus, quando differri ſolent. Quid præſtiterim hactenus, quâ diligentiâ, curâ, frugalitate inſtaurare & conſervare habitationem Principum conatus ſim, omnes ſciunt. Quid impenderim ipſe, dicere

dicere malim, quàm ſcribere. Hoc nunc ago, ut quos Illuſtriſſimis oculis tuis nuper exhibui murorum hiatus, tempeſtiva ac neceſſaria remedia accipiant, & ut fulcra ſimul quædam inſtaurentur. Calx emenda erit, emendi lateres: lapides in ipſa inveniemus Arce; ſed à latomo aptandi erunt. In hoc opus ducentos florenos neceſſarios eſſe, artificesindicârunt: ſed à me diligentiſſima ſumptuum ratio habebitur. Illuſtriſſimo igitur Finantiarum Collegio libellum hunc ſupplicem offero, quem Prudentiæ Tuæ & Humanitati commendare audeo. Vale, Illuſtriſſime Domine, & me ama. Lovanii, in Arce, XIV Kal. Junii. ∞. IↃCXXXV.

EPISTOLA XXVIII.

Bruxellam.

FRANCISCO MONCADÆ

Marchioni de Aytona, Summo Belgicæ Stratego.

SAlutis gaudium non capio, niſi apud Excellentiam Tuam effundam. Cùm extremum

mum periculũ eſſet, Deus nos reſpexit,ac ſervavit. Quicquid interim fieri potuit,fecimus: fortes & conſtantes fuimus, mori paratiores, quàm hoſti cedere, qui vincere non poterat, niſi ut, quæ dictu etiam horrenda ſunt, patraret. Etiam Arcem peculiari curâ muniveram, ut poſt Urbem pugnæ par eſſet, & violentiam arceret. Viri, arma ad manum erant, animi & virtus. Sed hortus noſter in hoc tumultu penitus ſubverſus eſt, arbores magna ex parte exciſæ, ut mœnia Urbis, quaſſata ac dejecta, inſtaurarentur. Sua etiam vulnera muri Arcis ac tecta acceperant: tanquam hîc hoſtes terrorem incuterent ac ferirent. Tot glandes immiſſæ, ut ſpargi ac ſeminari viderentur: etiam cum ſtrepitu ac ſibilo veniebant, quia inſolito more oblongæ ac dentatæ erant. Nemo tamen è meis læſus fuit: aliqui hoſtium à meis interempti; qui procurrentes ex Arce ad mœnia, mixti militibus propè portam Mechlinienſem bombardas ſuas explodebant. Sed hæc diſtinctiùs in Obſidionis deſcriptione, quam paro, enarrabo. Sereniſſimum Principem hodie redeuntem ad Urbem, imò exeuntem ex Urbe ſalutavi, ut erat in equo & è vallo Urbis ad portam Mechlinienſem deſcenderet, opera hoſtium, aggeres, foſſas, foris luſtraturus. Quomodo muri

Urbis,

Urbis, turres, portæ tormentis laceratæ ſint, ſimul videret. Vidit quoque cùm exiret Urbe, me monſtrante; hortum noſtrum in vallum commutatum, nudum ac deformatum. Sed hæc ejuſmodi obſeſſi patiuntur. Vale, Vive, vince, & hoc; nunc Epigrammatium lege, quo ludere volui, ut ad ſeriam magis ſcriptionem animum excitarem. Sed promovetur opus, quod ſimplici nomine Diarium appello, Obſidionis ſeriem ordine dierum explicaturus. Lovanii, in Arce, Eid. Jul. ∞. I Ↄ C. XXXV.

EPISTOLA XXIX.

Tornacum.

ALBERTO LALAINIO,

Comiti Hochſtratano, Gubernatori Tornacenſi.

Mirum & militarem litteris tuis vim ineſſe, quid ni agnoſcam? Manus Mars eſt, calamus miles: Arces capit, animos occupat, citiuſque vincit, quàm pugnat. Quibus verò armis? Benevolentiæ ac Humanitatis.

tis. Ecce jam recepit Perilluſtrem D. HASSICOURTIUM Pallas mea, erectum, ut video ad Sapientiæ Litterarumque Studia; quæ omnis vitæ ac gloriæ non ſubſidia tantùm, ſed ornamenta ſunt. Solida ſpero, imò præſagio: oſtendet ipſe ſe LALAINIUM eſſe, & illuſtrandæ Familiæ, ſuo quamvis jubare ſplendidiſſimæ, natum: oſtendet, non minùs Litteris, quàm Armis, ad æternitatem virtutes evehi. Auxilia ego ſpondeo: & luculenta ſimul adfert THIBAUVILARUS vir ſelectus è multis, qui præſtantiſſimam juvenis indolem dirigat, ingenio & exemplo juvet. Hoc Rectore bene ſe habebunt omnia; operamque daturus ſum, ut votis tuis ſatisfiat. Mea ſunt, ut tota Familia floreat, ut ſuas velit patrocinio Litteras eſſe, paſſim neglectas. Beatus porrò ero, quando ipſam Excellentiam Tuam in hac Arce complectar ac venerabor. In hac Arce, quam tuam feciſti. Ita vale, & vive. Lovanii, in Arce, x. Kal. Feb. ∞. IↃC. XXXVI.

EPIS-

EPISTOLA XXX.

Bruxellam.

ANDREÆ CANTELMO,

Legionis Italicæ Tribuno, poſteà Rei Tormentariæ Præfecto, & Catelauniæ Proregi.

SYmbolum igitur in munus adornatum, accepi, & ipſo ſplendore perſtrictus ſum: quem profectò ſentio non minùs ab animo tuo, quàm ab argento manare. Quàm fortis, tam quoque liberalis es, ut Litteras æſtimes, oſtendaſque non ſolis te armis militiam regere, gloriam mereri; ſed fortitudinem hoſtes confeſſi ſunt: liberalitatem, Amici; quod eſt, aut vinci omnes, aut vinciri, qui vel viribus tuis, vel beneficiis tentantur. Mea verò nunc conditio ſingularis eſt. Arma ad amorem faciunt, & in beneficia commutantur. Erigor ecce, heroico enſe tuo fulcior, ornor; & jam audeo ſæculi moribus ingenium opponere, quia tam illuſtri benevolentiâ munitum.

 Ut

Ut omnia dicam, tutela eſt, & ad meam quoque gloriam facit. Qui in polabro hoc argenteo, * amoris & honoris cauſsâ ad me miſſo, nomen CANTELMI, & ſymbolum legent, feliciſſima PUTEANI Studia deprædicabunt. Ita nunc gratiam toto animo ſcribo, ipſis deinceps Studiis relaturus. Lovanii, in Arce, VIII, Kal. Jul. CIↃ.IↃC.XXXVI.

* Symb. Enſis CANTELMI, & Doctrina PUTEANI perpetuo nexu juncti, quis reſiſtet?

EPISTOLA XXXI.

In Caſtra.

EIDEM.

QUantùm virtuti tuæ, in oppidis capiendis, & profligando hoſte accedit famæ, tantò ingenium quoque meum incremento felicitatis ſurgit. Ipſa conſilia tua arma ſunt: arma non poſſum niſi fulmina appellare. Si ut ſuades, geretur porrò hoc bellum, ad plenam victoriam ibitur: quomodo gerendum ſit, rara prorſus ſolertiâ non intelligis modò, ſed oſtendis. Intraſſe in Galliam Fortunæ dumtaxat rudimentum eſt: momentum erit, perſeverare

ſeverare & progredi. Alibi terrore, alibi humanitate & clementiâ opus; ut percellantur, qui animos repugnaturi erigunt; alliciantur, qui periculo malunt fortunas ſuas ſubtrahere. Non quod vincimus modò, ſed & quod ſervamus, noſtrum eſt; non quicquid hoſti miles victo extorquet, ſed quicquid hoſtis victori in occaſionem ſive neceſſitatem ſuppeditat. Sed quid hæc dico? Tua ſunt: quâ enim ratione bellum in hoſtili gerendum ſit ſolo, expenſum unus maximè & exploratum habes; totum non munimentis tantùm, ſed alimentis Martem conſiſtere. Non omnes, qui pugnant, norunt vincere: non omnes, qui vincunt, victoriâ uti. Vtrumque tuum eſt, tua, ut dixi, & arma & conſilia ſunt: tua virtus, quæ hæc & illa jungit, ingenium & vires, Martem & Minervam. Sic & ipſe tuus ſum, luculento munere, eleganti ſymbolo: quod cùm enſem librumque repræſentet, lætus intelligo tuo unius tandem patrocinio ſtudia mea & tuta & tranquilla eſſe: ſtudia non eſſe, nec mea eſſe, niſi gloriæ tuæ impendantur, ac ſerviant. Vale, Lovanii in Arce, Prid: Eid. Auguſti ∞. I Ɔ C, XXXVI.

EPISTOLA XXXII.

Corbiam.

EIDEM

NOn Epiſtolam, ſed profectò gemmam accepi, pretio & pulchritudine inſignem, picturam amoris, & inſculptam imaginem habet: purum, ut rectiùs dicam, ignem, non verborum notis,, ſed benevolentiæ radiis coruſcantem. Inter arma ſic te meum eſſe! Tuas ſemper fuiſſe litteras exclamare cogor: eſſe virtutes, quæ cum armis Litteras conjungunt. Ergo non auſu tantùm, ſed ſucceſſu felix es: & quia acceptas Numini victorias refers, pari laude tam fortitudo tua, quàm pietas ad famam venit, & æternitatem meretur. Venerantur jam omnes CANTELMI nomen: ſed ego, niſi vocem omnium calamo exprimam, voce ipſe carere videar. Hoc agam ſi vivam, aut non vivã: indignus famâ, niſi tuâ inclareſcam. Vinum verò feliciter ac tempeſtivè advectum eſt; aurum merum: quia ad valetudinem & hilaritatem faciet. Itaque pro munere tam luculento gratias ago, tuum cum ſalutis voto nomen uſurpaturus, quoties non

corpus

corpus tantùm, ſed animum tam bono liquore imbuam. Habeant ſuum Dii Nectar, ſuamque Ambroſiam, me immortalem in terris tua virtus faciet: cui ego non animum tantùm ſed ipſum corpus meum mancipo conſecroque. An clarius? Cujus beneficio vivo, ejus etiam arbitrio, ubi vixero, ſepeliar. Sic nec arma tua à Litteris fatum ſeparabit, tu vive, vince, vale. Lovanii, in Arce, III. Non. Septemb. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XXXIII.

Corbiam.

EIDEM.

Commoda hęc ſcribendi occaſio eſt: & quomodo eâ non utar? Serenâ ipſe met valetudine non ſum, ſed de tua maximè ſolicitus, in qua mea omnino ſita eſt. Firmus lætuſque ero, ſi te eſſe intelligam: ſi mitigatum eſſe dolorem, quem è triſti Amici tam rari fato ceperis. His caſibus vita humana obnoxia eſt. Et nónne homo, qui obiit? imò his malis militia, etiam homo miles eſt. Qui hoſtem vincit, à natura vinci poteſt. Vt conſtanter igitur mortem ejus feras, nomen monet,

PALMA eſt, quæ verum animi robur notat, & te vult, ut omnia dicam, CANTELMUM eſſe. Sed te ego per meam rogo vitam, ut tuæ in periculis tam proximis variiſque rationem habeas. Qui nullum times hoſtem, morbos fuge: te ſalvo vinci hoſtis poterit, qui tuam unius virtutem & vitam reformidat. Corbiam ſatis jam munitam eſſe intelligimus: & tuum hoc opus eſt. Caſtra quò deinceps promovenda? Autumnus adeſt, minantur frigora, & plura aëris cœlique incommoda ſunt. Annus quietem ſuam ſumit: quidni & bellum? Satis jam cepiſti Oppidorum, ut laborum & periculorum pauſa ſit: ſat jam viciſti, ut te rurſus videam, audiam, complectar, venerer. Hac unâ jam ſpe vivo, & tolero quicquid moleſtum eſt. Tu vale, ac vive meum decus, & me ama. Lovanii, in Arce, Kal. Octob. ∞, IↃC, XXXVI.

EPISTO-

EPISTOLA XXXIV.

Bruxellam.

ANTONIO COMITI GROBBENDONCQUIO,

Vrbis Lovanienſis Præfecto.

NESCIO an pro animi cultu erga ſummas æternaſque virtutes tuas, ſtilum nuper extulerim, non hominis, ſed Herois opus orbi admirandum, conatus deſcribere. Ipſe genius tuus prorſùs militaris, ipſe vultus, neſcio quid inclyti ſpirans, in venerationem me pridem traxit, ac poſtquam cernere coram licuit, quæ fieri poſſe nemo ſperaſſet, niſi tuâ prudentiâ, vigilantiâ, fortitudine facta eſſent, totus ut ſic dicam, exarſi. Sanè quamdiu Lovanium erit, GROBBENDONCQUII ſplendebit nomen & in argumentum victuræ ſemper gloriæ veniet. Sed quantùm in Duce & Præfecto ſitum ſit, calamitas in felicitatem verſa, deſperatio in victoriam, oſtendit: in una Urbe Belgas omnes propugnâſti: unam invictam facem unus potuit. Hæc cùm legent

Exteri, Poſteriqúe, feliciter mecum actum putabunt, qui ingenii mediocritatem materiæ excellentiâ potuerim attollere. Ita me ac ſtudia mea offero, & in aliquam audeo familiaritatem BLITTERSWYCKIO meo, velut Proxeneta penetrare. Vale Æterne Heros, in Urbe & Arce, à Te ſervatis, Non. Octob. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XXXV.

Bruxellam.

JOANNI COMITI NASSOVIO,

Equiti Aurei Velleris, Equeſtris Militiæ Regiæ per Belgium Summo Præfecto.

UT Excellentiæ Tuæ publicè perſolverem, quod virtus & gloria exigebant, affectum meum cultumque ſtilo expreſſi. In Hiſtoria ſic quidem legere omnes potuêre, qui jam ſunt; & poterunt qui poſteà erunt, cujus potiſſimùm conſilio, atque beneficio

Lovanium

Lovanium ſervatum ſit: totamque ab illato feliciter pulvere fomitibusque ſalûtem, non unius tantùm Urbis, ſed Provinciæ pependiſſe. Librum tempeſtivè ad R. P. OTHONEM ZYLIUM Excellentiæ Tuæ offerendum miſeram, ſine litteris quidem meis, ut uberiùs Vir pius & Amicus loqueretur. Ab eo quoque priuſquam abſolviſſem Hiſtoriam monitus eram, ut digno Elogio, quæ nequaquam prætereunda erant, exornarem. Feci quantùm in me fuit, imò jam ex parte feceram, & ſic nunc familiari hoc ſcriptionis officio, venerari Excellentiam Tuam auſus ſum, virtuti ejuſdem & gloriæ, novo cultu ingenium atque ſtilum conſecrare. Vale, Lovanii, in Arce, Prid. Kal. Novemb. ∞. I Ͻ C. XXXVI.

EPISTOLA XXXVI.

In Caſtra.

ANDREÆ CANTELMO,

Rei Tormentariæ & Flandriæ Præfecto, & poſteà Catalauniæ Proregi.

TIMENDA admodum flamma eſt, ubi & fumus adurit. Te ſalvum & incolu-

mem eſſe in tam gravi Caſtrorum incendio, noſtram eſſe ſalutem, noſtram incolumitatem cum gaudio profitemur. Cùm nihil timeas, etiam ſpernere morbos potueris: ſic tamen obnoxius eſſe periculo, & vel propterea. Nos hîc dubia Autumni tempora hactenus exantlavimus, non omnino ſereni, ſecuri tamen. Et quis ille tandem locus eſt, quem non leves aliquando morbi penetrent? In Urbe hac tamẽ dixeris felicem Arcem fuiſſe: nos in Arce. Febrium nubeculæ minari viſæ ſunt; ſed mox diſſipatæ. Studia interim porrò habui, & propemodùm non ſtudia, occupatus dumtaxat, ne otioſus penitùs eſſem. Quis vigor, te abſente, in quo ſpirare totus videor? Unum decus meum, præſidium, exemplum CANTELMUS eſt: huic uni cùm placeam, ingenio pergam & ſapientiæ profeſſione, Litterarum fortunam æſtimare. Vive, Inclyte Heros, & audebo felix eſſe; Vale, & me felicem facias: Quid etiam? Veni, ut vivere te & valere, videam. Quæ militiæ ratio ſit, coram intelligam: nunc rectæ mentis virum & Centurionem PASSALAQUIUM, virtutis cauſsâ, atque etiam ætatis, favori tuo commendo. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

ANTONIO MARCHIONI MIRABELLIO,

Legato Regio, Summo Aulæ Præfecto.

BENIGNISSIMO nunc denuò affectu Excellentiæ Tuæ animatus, novam familiaritatis fiduciam ſumo: non litteras tantùm, ſed ipſum Filium HESSELUM, quæ vivæ litteræ ſunt, mitto. Ut venirem ipſe, & votum, imò officium coram implerem, oculorum hoc tempore morbus, à gravi humore contractus non permiſit. Hæc ætatis, jam paullatim graveſcentis, vitia ſunt, imò ad annum climactericum provectæ, qui vel infeſtior, vel periculoſior eſſe ſolet. Quid tamen eſt? Non totus abſum: pars aliqua mei, filius eſt: quemadmodum ramus arboris, ſed ſuo adhuc flore vernus ac tenellus: felix erit, quia à Sole vigorem capiet, atque adeo in Patrem derivabit. Benignitas Excellentiæ Tuæ vegetans illi ac ſalutaris quædam aura erit: quâ imbutus

imbutus, felicitatem ſuam imò meam intelliget. Nîl niſi virtutem videbit, & ad plenum audebit fructum matureſcere. Tanti erat, à Schola ad aulam transferri, ſed quæ & ipſa ſchola eſt; pietatis prudentiæ, gloriæ, officina, quia à MIRABELLIO, veræ bonitatis & magnitudinis exemplo regitur. Sic nunc igitur filium E. Tuæ offero: & ille obſequia mea, quibus meum coram affectum cultumque exprimet. Vale & vive. Lovanii, in Arce, XVIII. Kal. Januar ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XXXVIII.

Bruxellam.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

ANNUM nuper Climactericum ingreſſus, experiri cœpi, non omnino vana eſſe, quæ partim AULUS GELLIUS, partim CENSORINUS, aliique tradiderunt. Infeſtiores ecce, & corpori, & ſic ingenio, ætatis ſatellites morbi ſunt; atque adeò graviorem jam

rem jam ipſam fortunam meam faciunt. Et quid mirum, languorem in ſtudiis, imò in officiis vitæ fuiſſe? Ad te cùm rariùs ſcripſerim, aliis plerique mutus, ac velut mortuus fui. Ut aliquid tamen viderer agere, examinare Anni Biſſextilis occaſione, BISSEXTUM volui, & quæ non obſervata hactenus, aut certè non prodita, in unum librum contuli: cujus aliqua hæc pars eſt, ac velut ſpecimen. Ut inſpicias rogo, ut aliquid hîc temporis, quod perire poterit (ſi quid tamen tibi pereat) impendas. Centurias quoque proferre novas cœpi: quarum unam ut Tuo dedicem Nomini, ipſe me genius meus impellit. Si permittet verò valetudo, oſtendam me vivere. Vale vere Mæcenas, & me amare perge. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Januar. ∞. IↃC. XXXVI.

EPIS-

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

FERDINANDO DE BOISSCHOT,

Baroni de Saventhem, Brabantiæ Cancellario, Legato Regio.

MULTAS ingenii remoras eſſe etiam in meis, quamvis amænioribus ſtudiis experior. Hærent ecce Epiſtolæ, Nomini Tuo deſtinatæ, in Faſtis adhuc typographo impedito, qui proximum publicè annum, & cœli ſimul ſive minas ſive blanditias explicent. Nimirum omnium hic liber eſt: meus paucorum, & mavult unus omnibus, quàm paucis lucri cauſsâ ſatisfacere. Meus quia tuus erit, omnium etiam futurus eſt, & plauſum pretiumque apud cultiores inveniet. Tuus erit, ſed inſcriptiunculâ hâc, velut bonæ fidei teſſerâ; de qua nunc Benignitas Tua ſtatuet, ut ſciam quid addi, quid demi, quid mutari debeat. Non videbor autem modeſtiæ tuæ injuriam facere, ſi Illuſtriſſimi titulum uſurpem

pem. Novus hic fortaſſis eſt; ſed Tuus eſt, & Dignitati Tuæ debitus, cui non unus ſplendor accedit. In Provincia & Urbe Mediolanenſi Præſides omnes tam Magiſtratuum Regiorum quàm Senatus, Illuſtriſſimi appellantur: ipſe in primis Cancellarius, qui & Magni nomen obtinet. Si Regem reſpicimus, non ille nobis minor eſt; nec tu illi: ſi Regionem verò, nihil hæc noſtra Mediolanenſi cedit. Ignorant ſanè Virtutem Tuam, ignorant fortunam ipſam; qui minùs Dignitati tribuant. Audebo ego Publicum litterarum Patronum Illuſtriſſimi titulo publicè venerari. Sic vale, & ſplendore tuo quàm diutiſſimè fruere: te vivo ac favente, omnes ingenii remoras vincere potero, & oſtendere ſæculo me tuum, & ſic felicem eſſe. Vale. Lovanii, in Arce, v. Eid. Feb. ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA

EPISTOLA XL.

Bruxellam.

JACOBO DE NOYELLE,

Marchioni de LISBOURG, *Comiti de* CROIX, *Sanctioris Ærarii Regii Præfecto.*

MAGNITUDINEM Regis cæteræ virtutes muniunt, una potiſſimùm liberalitas ornat & amabilem facit: quæ cùm ad Litteras quoque refertur, gloriam æternitati inſerit. Aliquam verò Litterarum partem, ſtudia eſſe, quæ tracto, ipſi labores mei & libri indicant: indicat fortuna, durior mihi hucuſque & aſperior, quia ut publico muneri meo ſatisfacerem, ingenium bonis artibus impendi. Impendiſſe gaudeo: præmia ſunt, quæ adhuc debentur, benigniſſimè à Rege, tam bono quàm magno, decreta. Decreta mihi, ſed magis Litteris; tamquam privatum beneficium publicum fiat. Ut fiat verò, Illuſtriſſimum nunc favorem tuum imploro. Quia

Quia Magnitudo Tibi Regia curæ eſt, erit & liberalitas: quia Litteræ, in has voles liberalitatem derivari. Ego nónne tam bonum mihi affectum polliceri auſim? In his ipſis Litteris propè conſenui, de ſubſidiis non deſperavi. Regem Solem meum voco, Te Sidus: ſed verè propitium tuo nunc etiam lumine Solem experiar. Voluit me Rex felicem eſſe, Tu facies: Regiæ Liberalitati, Tuæ Benignitati ſic etiam obſtrictiſſimus & vivam, & moriar, à vero cultu numquam receſſurus. Lovanii, in Arce XVI. Kal. Maijas. ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA XLI.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. Iacobi, Legato Regio.

ETIAM litteris tuis dives ſum, eleganter, amicè, & peculiari genio ſcriptis. Ternas jam uno miſſu accepi: unas, novas, delicias meras; reliquas in exemplaria transfuſas, &

E ſic tam-

ſic tanquam novas. Sæpius legere, quæ ſemel venuſtate ſuâ animum imbuerunt, voluptatis theſaurus eſt. Bina iſta ſic quidem folia volumen faciunt, & ſic me detinent, ut aliud nolim legere. Adjungo mihi Illuſtriſſimi LUPI WALTHERI ZAPATAE aureas planè tabellas: quæ & ipſæ tanquam deliciæ deliciis accedunt. Audeóne & meas nugas ad te mittere? Duas has Epiſtolarum Centurias mitto. Novæ ſunt: ſatis bonæ, ſi à te merebuntur legi. Adhuc novæ, quæ jam aliæ excudentur, erunt, & à te volent legi. Nunc Salve, & ad breve hoc reſponſum meum, oculos converte. Breve, ut uberiore mox, quantùm debeam, explicem. Vale. Lovanii in Arce, Prid. Non. Junii ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

NOLO te meâ quidem cauſsâ angi: in æſtu ac tumultu rerum, Palladis ſtudia quædam

quædam quaſi tranquillitatis munimẽta ſunt, mentis, ut ſic dicam, vallo conſtituta. Hic tutus ac ſecurus eſt, qui ſe ipſo contentus, æternitatem cogitat. Equidem conatus ſum ex hoc ſapientiæ fonte aliquem ad me laticem derivare, favente quaſi genio; ut ſaltem viverem, ſi minori curâ Litteras tractarem. Quid egi autem? Quod otio ſimillimum eſt, niſi jocari cum Amicis (hoc ſanè epiſtolæ) negotium putes. Duæ hactenus Centuriæ ſunt: altera RAMIREZIO, altera ZAPATAE, deſtinata. RAMIRESII elogium à ZAPATA habeo, pulchrum ſanè, plenum, admirandum: utinam verè ZAPATAE à RAMIREZIO! Candidè: qui accurato & planè aureo calamo ſcribis: ſcribi aureo dignus es, niſi laureum à LAURENTIO debeam appellare. Ille te coronet, qui plenis doctrinæ fulget radiis, & quem tu oſtendis Solem eſſe, puro cœlo collocatum. Meam verò nónne cum damno interpolantis operam advoces? Ut totum hoc jubar eſt & imago jubaris, non poſſum niſi vel nubem, vel maculam objectare: & perſtringar niſi objectem. Permitte igitur ut extra periculum ingenium collocem, operam extra aleam, in terra, non in cœlo. Satis laudis erit, ſi Patriæ, quam in libertatem feliciter vindicatam mihi gratularis, rudi

ſaltem epinicio oſtendam, ſalutem Urbium à Rege noſtro Clementiſſimo pendêre. Hæc breviter ad epiſtolam tuam, non minùs amicam quàm elegantem: nam ad elogium obmuteſcere potui. Vale, & me ama, ſive valeam, ſive ægrotem: ſed ut magis amer, operam quidem dabo, ut valeam. Lovanii, in Arce, Eid. Septemb. ꝏ. I Ɔ C. XXXVII.

EPISTOLA XLIII.

Bruxellam.

ÆRARII SANCTIORIS REGII PRÆFECTIS ET ASSESSORIBUS.

HUMANITATE veſtrâ, & ſimul integritate optimi fratris mei, in munere Regio nuperrimè extincti, fretus, mœſtiſſimam viduam parvoſque liberos, quantùm animo poſſum, commendo. Cùm fratrem dico, me ipſum dico: quem ob candorem animi, vitæ innocentiam, ingenii elegantiam, morumque ſuavitatem ut me ipſum ſemper amavi. Quâ diligentiâ, induſtriâque Vectigalia

galia primùm Regia adminiſtrârit, ſenſit Ærarium, præter ſolitam biennii ſummam, collectione octoginta & ampliùs florenorum millium auctum. Cùm ſuper quatuor millibus, quæ juſſu Illuſtriſſimi Collegii ſolverat, controverſia mota eſſet, infelix eſſe cœpit, quia promptiſſimus officio fuerat: & ſine ulla ſua culpa maximos continuosque octo annorum labores, ſumptus, pericula ſuſtinuit. Prœmio dignus erat, & inter damna jactatus eſt: tam graviter interim ſanctèque Auditoris munus implens, ut in exemplum virtutis meritò laudetur. Circa rationes ſi quid grave erat, ingenio & induſtriâ, ſi quid intricatum, facilitate & felicitate expediebat, unus, non unius operam præſtans. Probitas viri & amor erga commoda Regia ejuſmodi fuit, ut quibuſdam etiam diſplicere maluerit, quàm rectè non agere: pati etiam, quàm honeſtum nomen non tueri. Sic obiit igitur, et jam deſiderari incipit. Obiit, & extinctus humanitatem veſtram invocat; ut quomodò vixerit, quomodò munus utrumq; ſuum exſecutus ſit, conſideretis. Addo & ego preces meas; &, quia de ratione ſtipendii præmiique agitur, rogo, ut aliquid ſolatii viduæ liberiſque præbeatis. Summa beneficii erit, ne unus reliquis ejuſdem antea muneris miniſtris tractetur duriùs,

qui unus reliquis plus prodeſſe Ærario, & augere Vectigalia annisus eſt. Id mihi ab humanitate veſtra ſpondere audeo; id integritas optimi fratris mei meretur. Valete. Louanii, in Arce, III. Kal. Octob. CIↃ.IↃC.XXXVII.

EPISTOLA XLIV.

Antverpiam.

ANDREÆ CANTELMO,

Flandriæ Præfecto, & poſteà Catalauniæ Proregi.

Virtutem tuam, velut ſalutarem nobis facem eſſe, quid ni pronunciem? In denſa rerum temporumque nocte accenſa, diem ſupplevit. Vivere & vigilare tuis conſiliis facinoribusque pulcherrimis cœpimus, & belli fortunam vindicare. Scient hoſtes pugnare Regium militem poſſe, ubi CANTELMUS imperat; vincere, ubi CANTELMUS pugnat. Dediſti Verrebroequio famam, quod, quia auſpicio tuo ductuque recuperatum, ſemper erit, & vel ipſo nomine terrorem Batavis incutiet. Legent iſti uberiore Commentario rei geſtæ

rei geſtæ ſeriem, ad quam & meum audebo calamum, ſed juſſu Sereniſſimi Principis Cardinalis, transferre. Colligo igitur, quę ad argumentum faciunt; adjecturus decorè, quæ ad AUDOMAROPOLIM eodem ferè tempore à PRINCIPE THOMA feliciter geſta. Dabit Deus, ut ſpero, ulteriorem victoriam, & Præfecturam tuam Flandriæ, admirabili auſpicio nobilitatam, cum tota deinceps gloria conjunget. Sic vive, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Heros; & me amare perge. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Julii. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

CAROLO LAURINO,

Conſilii Provincialis Arteſiæ Præſidi.

ALII anni, aliæ curæ: ſed profectò amicitiæ in contubernio ſtudiorum ſemel contractæ fides, illæſa ſemper manet; quamvis interquieſcere videatur. Quàm conjun-

ctum olim nomen LAURINI & PUTEANI! quàm individua vita! Poſtquàm te Curia, me verò ſchola occupare cœpit, divortio quodam honorum ac laborum; ceſſavit familiaritas, ac tacito affectu officia, quæ intercedere ſolent, circumſcripta ſunt. Tuos honores, ita me Deus, continuò veneratus ſum: meos tibi labores non diſplicuiſſe, benignis apud alios ſermonibus ſæpius teſtatus es: quod ſignum utrobique veri amoris fuit. Tua quidem dignitas aucta nuper, ut Arteſiæ tuæ ſupremo Togæ titulo præeſſes: mutata recenter, ut univerſam ſimul Belgicam conſiliis quoque tuis regeres, imò illuſtrares. Sic vicinum, & in arcano ampliſſimoque conceſſu magnum, quo modo non adeam, ac Litterarum cultu interpellem? Auſim iterum ac poſtliminio familiaris eſſe, ſi amœnitatem curæ tuæ decumanæ admittent: auſim adhuc PUTEANUS eſſe, ſi te LAURINUM inveniam. Faciliùs ætas, quàm indoles mutatur: idem adoleſcentiæ, & ſenectæ genius: nec minùs in vino ſalubritas placet, quàm in muſto ſuavitas. Natura utriuſque noſtrûm nónne à mulſo, ut ſic dicam, ad vinum venit? Etiam deliciæ ad maturitatem perductæ, deliciæ ſunt. Semel amavimus, ut adhuc Amici ſimus: ſemel in Litterarum ſtudiis ſocii, ne unquam

quam ab humanitatis affectu recederemus. Animum ecce meum hac ego ſcriptione ſpondeo tibi, offeroque: tuum mihi viciſſim ſtipulor. Familiaris ero, cultum honoribus tuis perſolvendo: labores mei, quia favorem tuum percipient, pleno fructu Reipublicæ, ac Poſteritati ſatisfacient; quia tuo ſtabunt patrocinio, glorioſi erunt. Vale, longâ vitâ ac dignitate fruere; & ut præſentem oblectes ætatem, ad præteritam mente & cogitatione redi: ita enim totus tibi Puteanus occurret, olim affectu, nunc cultu tuus. Lovanii, in Arce, VIII. Eidus Sextilis. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLVI.

Bruxellam.

FRANCISCO DE PACHECO,

MARCHIONI DE SERALBO,

Summo Aulæ Præfecto.

NON verebor epiſtolam, quæ tabellario Venlonam ferenda nuperrimè erat conſignata, Bruxellam transmit-

tere. Quemadmodùm ſcribere, & Excellentiam Tuam calamo venerari, officii mei erat: ita hoc nunc ago, ut ſcripſiſſe videar. Satis equidem explicare animi ardorem nequeo, quo in Heroicas Virtutes tuas, Elegantias, Gratias feror. Publicè notę ſunt: ſed mihi privatim colendę, dum obſequii teſtimonium, publicâ dignum luce, bene juvantibus Muſis inſtruam. Studiorum meorum hęc felicitas erit, placuiſſe Principi Viro, cui ipſa doctrina obſtricta eſt, & quicumque doctrinę ingenium mancipârunt. Solem video, & in orbis noſtri Septemtrionem divinitùs miſſum, ut poſtquam ardentes & remoti pelago populi temperari potuerunt, frigidi, & Europęi incaleſcant. Quid, Apollinem video, à quo & meę vigorem ſuum Muſæ derivabunt. Novos, ita me Deus, animos ſumam, & Excellentię Tuę favore, atque patrocinio, quæ inchoata ſunt opera ingenii, abſolvam. Ita me, ita ſtudia mea, ita & Bibliothecam, quæ potiſſimùm fortunæ meæ ſunt, totam offero. Ita vale Magne Heros. Lovanii, in Arce, I V. Kal. Octob. CIↃ. IↃ C. XXXVIII.

EPISTO-

EPISTOLA XLVII.

Gottorffium.

FREDERICO,

HOLSATIÆ DUCI.

IN imagine virum, in Legato Principem veneramur. Tuæ nobis virtutes, totidem imagines ſunt, gloriæ & æternitatis faces: tuis quoque virtutibus apud Belgas Legatus tuus Lowzovius reſplenduit, peculiares in me benevolentiæ radios exerens; quibus accenſum me eſſe, libens profiteor. Ille venationum tuarum Præfectus, ad capiendum hominum animos quaſi natus. Lovanium, & in Arcem, quam incolo, Regiam, venit; honorem Muſis ac Minervæ, quaſi à Serenitate Tua habuit. Hâc ſimul luce ſtudia mea perfuſa ſunt; profutura uberiùs, ſi inclyto Nomine Tuo, favore, patrocinio, attollentur. Nomen mihi jubar erit, favor fructus, patrocinium decus: è famæ, ut ſic dicam, crepuſculo in dîas luminis, oras exſurgam. Quid labores, quid libri, niſi Principibus placeant?

placeant? Ipſi Principes, non poſſunt niſi in libris perennes eſſe, & à poſteritate ſciri: reddunt quoque Scriptoribus gratiam; & libros ſuâ benignitate perennes faciunt, quibus vel ſolum nomen indulgent. Ut igitur tuum, quod totum Pacis eſt, uſurpare mihi, Pacis tractanti ſtudia, liceat, à Clementiæ & Humanitatis Genio, ut ſpero, impetrabo. Belga, & inter Belgas ſub Optimo, Maximoque vivo Rege, & felix ſum: ſed inter Germanos, & ſub Regio, ut omnia dicam, Principe inclareſcere; ad famæ puto ſummam pertinere. Sic nunc ſcribo, viamq; ad Celſitudinem Tuam quaſi ſterno, ut ingenii munus propediem deferam: munus, inquam, PROSPHONETICUM; quo, cùm vota & obſequia mea explicabo, oſtenſurus ſum publicè glorioſiſſimas Serenitatis Tuæ Virtutes, ubique notas, ſingulari hîc nobis coli affectu, ſtudio & eloquio celebrari. Ita Vale & Vive, Sereniſſime Princeps, & quemadmodum feliciter populos tuos regis; ita Pacem in alios deriva. Lovanii, in Arce, v. Eid. Novemb, ∞.IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA

EPISTOLA XLVIII.

Bruxellam.

ANTONIO MARCHIONI

MIRABELLIO,

Legato Regio, & Summo Aulæ Præfecto.

EXcellentiæ Tuæ plurimùm hactenus ob filium meum tam benignè habitum, debere me, profiteor. Nunc à nova gratia creſcit beneficium, quod non minùs in patrem, quàm in filium confertur. Illum in Hiſpaniam proficiſci poſſe gaudeo: ab Excellentia Tua duci, quàm maximè lætor. Denuò igitur offero filium, & ſic meipſum offero. In HESSELO meo videbor ipſe proficiſci, videbor ipſe duci: mea ille obſequia ſuis obſequiis exprimet. Deum toto animo rogo, ut felix fauſtumque iter ſit, quod inſtat; & Excellentiam Tuam rogo, ut me, quemadmodùm præſentem complecti dignata eſt, ita & abſentem amet: ita enim præſens ſemper ero. Breviter

viter hæc ſcribo, ut uberiùs loquar. Bruxellam enim venturus ſum, & cum filio, ubi ille Matri, Fratribus, Sororibusque valedixerit; ut ego Excellentiæ Tuæ debita vota perſolvam. Ita vale Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine, & Patrone. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

EIDEM.

IN votis erat cum filio Bruxellam ire, ut Excellentiæ Tuę felix iter corã apprecarer: ſed non ſivit valetudo, me per hunc rigorem aëris officioſum eſſe: valetudo ſæpius anceps; quemadmodùm malá ætatis (quæ ſeneſcens, & ipſa quædam hyems eſt) experiri incipio. Nunc igitur oris defectum calamo ſuppleo: quamvis & ſic loqui videar: Deumque rogo, ut brevem & proſperam navigationem faciat, ut longam & ſerenam vitam donet, Hesselum verò commendare, ſuperfluum puto: quem ſcio commendatiſſimum Excellentiæ tuæ eſſe: ſed non poteſt ſilentio contineri

neri affectus, qui Patris eſt, & vim naturæ ſequitur; qui in filium, & excuſatione dignus. Si fieri poſſit, me jam potiùs Excellentia tua minùs amet, quàm ut pleno deinceps affectu filius meus non fruatur. Quantò carior ipſi filius erit, tantò me ampliùs amari ſentiam. Ita vale & propitio Numine proficiſcere, favente cœlo. Lovanii in Arce Regia, XIV. Kal. Febr. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCOTIO,

Supremo Belgicæ Theſaurario, poſteà Brabantiæ Cancellario.

QUò magis ad quietem vitæ, transferre mentem ſtudeo, in novos majoreſque fluctus incido, & velut abripior. Æquo animo ferenda eſſe omnia, neceſſitas docet: quæ & tuam recenter Familiam, gravi caſu afflixit. Amiſiſti conjugem optimam, ſed tamen mortalem: tuam, ſed quæ magis Dei erat. Ergo ad hunc tranſiit, ut ſic ſemper tua eſſet, relictis

viter hæc ſcribo, ut uberiùs loquar. Bruxellam enim venturus ſum, & cum filio, ubi ille Matri, Fratribus, Sororibusque valedixerit; ut ego Excellentiæ Tuæ debita vota perſolvam. Ita vale Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine, & Patrone. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

EIDEM.

IN votis erat cum filio Bruxellam ire, ut Excellentiæ Tuę felix iter corã apprecarer: ſed non ſivit valetudo, me per hunc rigorem aëris officioſum eſſe: valetudo ſæpius anceps; quemadmodùm mala ætatis (quæ ſeneſcens, & ipſa quædam hyems eſt) experiri incipio. Nunc igitur oris defectum calamo ſuppleo: quamvis & ſic loqui videar: Deumque rogo, ut brevem & proſperam navigationem faciat, ut longam & ſerenam vitam donet, HESSELUM verò commendare, ſuperfluum puto: quem ſcio commendatiſſimum Excellentiæ tuæ eſſe: ſed non poteſt ſilentio contineri

neri affectus, qui Patris eſt, & vim naturæ ſequitur; qui in filium, & excuſatione dignus. Si fieri poſſit, me jam potiùs Excellentia tua minùs amet, quàm ut pleno deinceps affectu filius meus non fruatur. Quantò carior ipſi filius erit, tantò me ampliùs amari ſentiam. Ita vale & propitio Numine proficiſcere, favente cœlo. Lovanii in Arce Regia, XIV. Kal. Febr. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCOTIO,

Supremo Belgicæ Theſaurario, poſteà Brabantiæ Cancellario.

QUò magis ad quietem vitæ, transferre mentem ſtudeo, in novos majoreſque fluctus incido, & velut abripior. Æquo animo ferenda eſſe omnia, neceſſitas docet: quæ & tuam recenter Familiam, gravi caſu afflixit. Amiſiſti conjugem optimam, ſed tamen mortalem: tuam, ſed quæ magis Dei erat. Ergo ad hunc tranſiit, ut ſic ſemper tua eſſet, relicti,

viter hæc ſcribo, ut uberiùs loquar. Bruxellam enim venturus ſum, & cum filio, ubi ille Matri, Fratribus, Sororibusque valedixerit; ut ego Excellentiæ Tuæ debita vota perſolvam. Ita vale Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine, & Patrone. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

EIDEM.

IN votis erat cum filio Bruxellam ire, ut Excellentiæ Tuę felix iter corã apprecarer: ſed non ſivit valetudo, me per hunc rigorem aëris officioſum eſſe: valetudo ſæpius anceps; quemadmodùm malá ætatis (quæ ſeneſcens, & ipſa quædam hyems eſt) experiri incipio. Nunc igitur oris defectum calamo ſuppleo: quamvis & ſic loqui videar: Deumque rogo, ut brevem & proſperam navigationem faciat, ut longam & ſerenam vitam donet, HESSELUM verò commendare, ſuperfluum puto: quem ſcio commendatiſſimum Excellentiæ tuæ eſſe: ſed non poteſt ſilentio contineri

neri affectus, qui Patris eſt, & vim naturæ ſequitur; qui in filium, & excuſatione dignus. Si fieri poſſit, me jam potiùs Excellentia tua minùs amet, quàm ut pleno deinceps affectu filius meus non fruatur. Quantò carior ipſi filius erit, tantò me ampliùs amari ſentiam. Ita vale & propitio Numine proficiſcere, favente cœlo. Lovanii in Arce Regia, XIV. Kal. Febr. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCOTIO,

Supremo Belgicæ Theſaurario, poſteà Brabantiæ Cancellario.

QUò magis ad quietem vitæ, transferre mentem ſtudeo, in novos majoreſque fluctus incido, & velut abripior. Æquo animo ferenda eſſe omnia, neceſſitas docet: quæ & tuam recenter Familiam, gravi caſu afflixit. Amiſiſti conjugem optimam, ſed tamen mortalem: tuam, ſed quæ magis Dei erat. Ergo ad hunc tranſiit, ut ſic ſemper tua eſſet; relictis

viter hæc ſcribo, ut uberiùs loquar. Bruxellam enim venturus ſum, & cum filio, ubi ille Matri, Fratribus, Sororibusque valedixerit; ut ego Excellentiæ Tuæ debita vota perſolvam. Ita vale Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine, & Patrone. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

EIDEM.

IN votis erat cum filio Bruxellam ire, ut Excellentiæ Tuę felix iter corã apprecarer: ſed non ſivit valetudo, me per hunc rigorem aëris officioſum eſſe: valetudo ſæpiųs anceps; quemadmodùm malá ætatis (quæ ſeneſcens, & ipſa quædam hyems eſt) experiri incipio. Nunc igitur oris defectum calamo ſuppleo: quamvis & ſic loqui videar: Deumque rogo, ut brevem & proſperam navigationem faciat, ut longam & ſerenam vitam donet, HESSELUM verò commendare, ſuperfluum puto: quem ſcio commendatiſſimum Excellentiæ tuæ eſſe: ſed non poteſt ſilentio contineri

neri affectus, qui Patris eſt, & vim naturæ ſequitur; qui in filium, & excuſatione dignus. Si fieri poſſit, me jam potiùs Excellentia tua minùs amet, quàm ut pleno deinceps affectu filius meus non fruatur. Quantò carior ipſi filius erit, tantò me ampliùs amari ſentiam. Ita vale & propitio Numine proficiſcere, favente cœlo. Lovanii in Arce Regia, XIV. Kal. Febr. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCOTIO,

Supremo Belgicæ Theſaurario, poſteà Brabantiæ Cancellario.

QUò magis ad quietem vitæ, transferre mentem ſtudeo, in novos majoreſque fluctus incido, & velut abripior. Æquo animo ferenda eſſe omnia, neceſſitas docet: quæ & tuam recenter Familiam, gravi caſu afflixit. Amiſiſti conjugem optimam, ſed tamen mortalem: tuam, ſed quæ magis Dei erat. Ergo ad hunc tranſiit, ut ſic ſemper tua eſſet, relictis

neri affectus, qui Patris eſt, & vim naturæ ſequitur; qui in filium, & excuſatione dignus. Si fieri poſſit, me jam potiùs Excellentia tua minùs amet, quàm ut pleno deinceps affectu filius meus non fruatur. Quantò carior ipſi filius erit, tantò me ampliùs amari ſentiam. Ita vale & propitio Numine proficiſcere, favente cœlo. Lovanii in Arce Regia, XIV. Kal. Febr. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCOTIO,

Supremo Belgicæ Theſaurario, poſteà Brabantiæ Cancellario.

QUò magis ad quietem vitæ, transferre mentem ſtudeo, in novos majoreſque fluctus incido, & velut abripior. Æquo animo ferenda eſſe omnia, neceſſitas docet: quæ & tuam recenter Familiam, gravi caſu afflixit. Amiſiſti conjugem optimam, ſed tamen mortalem: tuam, ſed quæ magis Dei erat. Ergo ad hunc tranſiit, ut ſic ſemper tua eſſet; relictis

relictis pignoribus, quæ plenum ſolatium adferant. Adverſa tolerare poſſe, ſumma ſapientiæ eſt: ſed tua virtus, quam in Republica admiramur, vires ſuas in Familia quomodò non obtineat? Virum & magnum alloquor: Vir oſtendes, quo exemplo triſtia, ſed tamen humana ferenda ſint. Omnia concuti, repentinus ille nobis terræ motus oſtendit. Arx hæc noſtra, quia ſublimis graviori impetu quaſſata eſt, & ſtare potuit: ſed me inde movere, eodem tempore miles Prætorianus proximę cuſtodiæ conatus eſt, & tanquam jure niteretur. Reſponſum igitur meum at D. BIAEUM miſi, ut is tempeſtivè exhiberet. Reſponſum breve & ſimplex, quo oſtendi, falſum eſſe petitionis fundamentum, & ſuâ ſponte collabi. Etenim Præfectura mihi, quamdiu Lovanii manſurus ſum, data eſt, poſt me Uxori quoque meæ, ſi ea mihi ſuperſtes fuerit; ac deinde liberis, ſive filio natu majori. Sed quid verbis opus, cùm Diplomata loquantur? Eorum curabo quoque exemplaria fieri, ut ſubmittantur. Cæterùm amœna hæc mihi & ſtudiis apta habitatio eſt: incommoda tamen familiæ, & periculoſa, niſi novæ ruinæ tempeſtivè impediantur. Poſt trabem in me lapſam, Arx magis luſtrata eſt, quàm emendata. Muri adhuc hiant, pons

ruptus,

ruptus, porta caduca, & magni atrii contignatio malè alibi cohæret, præſertim poſt ultimam terræ concuſſionem. Mihi certè ſi aſſignentur Sexcenti illi, quos adverſarius petit, floreni, & reſtituantur ſumptus à me neceſſariò facti, libens relinquam Arcem, & alium mihi in Urbe larem eligam, quod reliquum eſt vitæ (exiguum quidem) extra ruinas exacturus. Ex animi ſententia, hæc ſcribo, & patrocinio tuo me, familiam meam, ſtudia, quæ tranquilla ſunt, vota, quæ modica, & neceſſitate terminata, commendo. Ita vale, & vive, & jam ſeneſcentem ama. Lovanii, in Arce, poſtridie Paſchatis, quod felix precor. CIↃ. IↃC. XL.

EPISTOLA LI.

Coloniam.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

INTERDUM verecundia calamum detinet; interdum valetudo. Sed cùm litteræ

F ceſſant

ceſſant, vigent cogitationes, & avido affectu concitantur. Satis mihi hæc hiems, vixdum exantlata, moleſtiæ attulit, annum jam LXVI. computanti. Frigere incipio, & ipſa ætas hiems eſſe: quam tuus ignis, tuus in me amor mitigat atque molliorem reddit. Qui in me eſt; nónne & in meos? Generum meum vides LAZARUM BONVICINIUM; in quo, ut omnia dicam, filium inveni. Filium vides, in quo ornamenta ingenii, & doctrinæ, nactus ſum, prudentiæ & probitatis. Dignus à Principibus occupari, à ſuo domum revocatur. Ducit unà conjugem ſuam, filiam meam EUGENIAM, magnam ſanè partem mei, & me diſceſſu ſuo triſtiſſimum relinquit. Utinam ſaltem, quia abit, feliciter abeat, finibuſque Patriis incolumis reddatur! Hoc votum meum eſt, hoc & ſolatium erit. Cæterùm iter ſuum per Ubios dirigit; ut tuam coràm veneraturus virtutem, doctrinam, dignitatem, conſilio tuo fruatur. Quod rogo: & nónne à lubente? Nimirum,

Qui erranti comiter monſtrat viam
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit.

Ego tamen quod facilè eſt, magnum appellabo: tu quod magnum eſt, facilè efficies, novo & decumano beneficio & me, & Generum meum tibi obnoxios redditurus. Ne plura

plura ego ſcribam, ipſe dicet, & me totum repręſentabit. Totum, & tuum, vero & perenni cultu, obſequio, nexu. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Maii. ∞. I Ↄ C. XL.

EPISTOLA LII.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. Iacobi, Legato Regio.

AFFECTU tuo vivo, Vir ſumme, alor alloquio. Aliquis ero, quia RAMIREZIO placui, parvus Magno, cliens Patrono. Aliquis inquam, nomine, aliquis etiam fortunâ. Nolo verò clarus eſſe niſi tua luce; nolo felix eſſe, niſi tuo favore. Quia Elogium LUYTPRANDI ſcribere contigit, in conſortium famæ admiſſus ſum: quia Literas accepi Regias, cum emolumento deinceps titulus à Conſiliis futurus eſt. Expectandus verò Sereniſſimi Principis FERDINANDI è Caſtris reditus, ut commodè

 eæ dentur

eæ dentur, & meliori tempore. Nunc Filium meum, HESSELUM, magnam partem mei commendare humanitati tuæ pergo: in quo adoleſcente indoles ad honeſtatem compoſita, altiorem nunc aliquem gradum meretur. Quid ſi, quemadmodum cum Marchione MIRABELLIO, è Belgio in Hiſpaniam profectus eſt, cum Marchione DE LOS VELES ex Hiſpania in Belgium revertatur? Quid ſi cum Summo Militiæ Belgicæ Cenſore NICOLALDO, in ejuſque Tablino munus aliquod obtineas? Ipſe anhelat, ego rogo, novum ſic etiam ſolatium ſenectutis accepturus. Plus jam otii & animi erit, ut quæ affecta ſunt opera, aut parata producam. Quidquid erit, à prælo ad Muſæum tuum mittetur. Auſpicari à VITAE HUMANAE BIVIO placet, quod de virtutibus & vitiis eſt, Lineis Ariſtotelicis diductum. DE NUNDINIS ROMANIS, de PRINCIPIO DIEI, de NATATU, de TERNARIO NUMERO Diatribæ ſequentur. Abſolvi nunc quoque BRUXELLAM SEPTENARIAM, partim Carmine, partim Proſâ: quo argumento & oblectare ingenium potui, & occupare. Scribo Elogia nunc Heroica Burgundicorum Principum, & Auſtriacorum, opus imaginibus ſuis ornandum; non vaſtum quidem, ſed accura-

ſed accuratioris ſtili, cùm materia ſublimis ſit. Inſignia tua ab officioſiſſimo GEORGIO ENENHARDO accepi, & exoſculatus ſum. Pingentur igitur in magno illo G. VALLAE Volumine de rebus fugiendis & expetendis, tanquam Artium omnium theatro: quod pignoris loco miſſurus ſum, ut quantùm debeam, ſaltem agnoſcam. Sic vale ſæculi fama: & quia affectu tuo vivo, alloquio alor, totum me ſine tuum eſſe, quamdiu ero, & quando non ero. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LIII.

Bruxellam.

ANDREÆ CANTELMO,

Summo Militiæ Præfecto, poſteà Catalauniæ Proregi.

VULTUM illum tuum, magne Heros, & in vultu genium, quando rurſus venerabor? Hac nunc unâ ſpe quicquid acerbum eſt lenio, quicquid moleſtum fero. Veniat hiems, hæc mihi æſtas erit: non in cœlo; ſed contu-

bernio tuo Solem & amœnitatem inveniam: nónne & dicturus multa, & auditurus? De ſtudiis dicam, quæ mea & privata ſunt: de armis audiam, quæ tua, & publica. Sed ſtudia & arma conjungi poſſe, tua nobis gloria oſtendit; tot jam virtutibus illuſtris, quot alii potuerunt Belli Duces olim magni eſſe, & adhuc vivere. Nunquam mori, bonorum & fortium eſt: quinam verò boni & fortes ſint, ſi præſens neſcit ætas, ventura ſciet: nos profectò te CANTELMUM eſſe; quo nomine, quicquid verè laudari poteſt, expreſſum habemus. Breviter nunc iſta; ut plenum mox & ex profeſſo elogium conſcribam: quemadmodum nuperos cœpi ac præcipuos Europæ Heroes, exemplo Jovii exornare. Hoc potiſſimùm genus Hiſtoriæ placuit, quia pictum variumque, quia & ad gratiam valet. Si tuam mihi conſervo, felix ſum; acturus omnia ut conſervem. Vale, Lovanii, in Arce, v. Kal. Octob. ∞. I Ɔ C. XL.

EPISTO-

EPISTOLA LIV.

Bruxellam.

ALBERTO

PRINCIPI LIGNIACO,

d'Ambelize & S. Imperii.

GENIUM tuum heroico in libros affectu proclivem non dicam, miror, ſed veneror. Animi ac bonæ mentis hi theſauri ſunt, Artium omnium Magiſtri, honoris, famæ, gloriæ quaſi Architecti. Nunquam ſolus, qui ſolus, qui inter hos ſpatiatur; nunquam rudis, qui hos audit, loquentes ſine voce, tacentes non ſine facundia, promptos, ſi quis ſemel ſuos fecerit. Aliis in rebus ſe objectat homo, hîc vivit & felix eſt; & quia contemnere multa poteſt; poſſidet omnia. O veræ divitiæ, & Principibus dignæ! O tuæ Dîs genitæ, & ſic majus jam pretium capiant! Suam olim PHILADELPHUM Ægyptus habuit; habet nunc Belgica, felix inter bella ſua, quia & libris ſplendet, quos novo exemplo non colli-

git tantùm, ſed legit ſimul, & intelligit, vel ipſo magnus Nomine LIGNEUS. Sic perge, & armis conjunge libros, Militię litteras, totamque tibi Palladem vindica, quæ non libentiùs in caſtris, quàm Bibliotheca tua habitabit. Ego, quia litteras tracto, libros quoque amavi ſemper: curioſus tamen, non ut multos, ſed ſelectiores, & Profeſſioni meæ utiles conſtiparem. Itaque quadraginta his annis, quibus doceo, mediocrem pro modulo meo copiam eruì. Sanè inter privatas Bibliothecas hæc mea celebrari cœpit, & tanquam locum aliquem publicũ mereretur. Aliqua etiam ingenii mei Bibliothecula eſt; quæ ſi publica fiat, apud Poſteros fortaſſis vivam; ſed ſi Nomini Tuo, gloriæque conſecrabitur, nunquam moriar. Nimirum æternitati tuæ adhæſurus, non tempora, non homines, non ipſum fatum pertimeſcam. Sic ſanè, & ut permittas rogo, Te Patronum meum novus cliens, te Mæcenatem Belgicum, te ingeniorum decus ac præſidium audebo appellare. Vive, & ut ſemper me ames, nunc amare incipe. Vale, ut nihil heroica tua conſilia & facta impediat. Lovanii, in Arce, V. Eid. CIↃ. IↃ C. XLI.

EPISTOLA

EPISTOLA LV.

Bruxellam.

VIRGILIO

MARCHIONI MALVEZZIO,

Legato Regio.

PRincipem Virum inter doctos eminere, prodigium eſt; ſed in te exemplum, qui vero veterique elogio,

Illibatus flos populi, Suadæque medulla,

Novum ſæculo huic noſtro, velut ſidus affulſiſti. Mirentur alii ſummas ingenii tui & incomparabiles dotes: ego veneror, libero affectu, timido affatu, & per verecundiam quaſi titubante. Humanitate igitur tuâ opus, qui ad divinitatem accedis, ut verba concipiam animo, mutus depromam. Trahunt me aurea & æterna ſcripta tua: ille, ne de aliis dicam, Romulus Tuus, tam accuratè, & prudenter expreſſus, ut amari à Regibus mereatur: & ille Tarquinius Tuus, ut timeri à Tyrannis. Alter delicium, ubi virtutes

tutes ſolium ornant; alter flagellum, ubi vitia deformant. Ita enim Principes ſunt: cùm boni, moneri ſe patiuntur: cùm mali, recuſant. Boni, quando populi cauſsâ Principes ſunt: mali, quando ſuâ. Atque gemina hæc doctrina tua totum & ſummum civilis Diſciplinæ Magiſtrum, omneſque Politicos admirabili artificio continet: fertilis, & tamen frugalis, conſtipata ſententiis, aculeata præceptis, nervoſa verbis, floridam brevitatem Regio quodam charactere complexa. Aurum confici poſſe, & in compendium maſsæ è viliori metallo contrahi, jam credo. Aurum eſt, quicquid cœleſtis ingenii tui aurâ percoctum eſt. Aurum, Αἰθόμενον πῦρ, cùm Pindaro dicam, ἅτε διαπρέπει νυκτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου: alibi fumus, hîc flamma eſt; alibi verba, hîc lumina; quaſi tot ſimul gemmæ luceant, quot voces ſunt; niſi ſtellas malim appellare. Loqui hactenus Italia potuit, tuo cœpit ore eloqui; ut mihi quidem videaris ſapientiæ Atticiſmum nunc tandem Patriæ intuliſſe, ultimam velut manum Hetruſcæ facundiæ imponens. Tentârunt aliqui latino nuper, aliqui alio theſauros hoſce penicillo in novam faciem transferre, ſequiori confeſſi conatu, ignem colore exprimi non poſſe. Laudandi tamen, quia eloquii pretium, quod infeliciter ſectati

ſunt,

ſunt, ipſâ comparatione extulêre; ſi non alio, hoc ſaltem fructu; ut quæ verſa ſunt, & deteriora reddita, à pluribus legerentur. Tua, nec omnino jam tua liceat dicere, quia mutata: quæ ut nativum elegantiæ ac majeſtatis genium retinerent, vel verti non debuerunt, vel à te ſolo, qui unus tibi par es, & te unus totum capis. Quid tamen eſt? Ut & meum ego morbum profitear, his iiſdem agitaveram cogitationibus animum; ut per tua aliquando veſtigia ſtilum ferens, quæ poſt ROMULUM TARQUINIUMQUE prodiiſſent opera, Latina facerem; nomen verò meum tuo illuſtrarem. Audebam, non audebam: pellectus pulchritudine, retardatus difficultate; cum ſuæ unicuique linguæ gratiæ ac veneres ſint, quæ nullâ arte, nullo ingenio in aliam traducantur. Magnum hîc etiam momentum eſt, ne quid temerè. Refert enim, alienum quis invadat interpretatione opus, an ſuſcipiat; ſuo arbitrio, an Auctoris conſilio: quorum alterum eo ſciente, vel diſſimulante fieri poteſt; alterum neſciente vel invito. Meum erat in alienis præſtare libris, quod in meis exigerem; priùs offerre operam, quàm impendere, inſinuare quàm exequi: ut ſi tuo peccarem conſenſu, faciliùs obtinerem veniam; ſi conſilio niterer, minùs peccarem. Belga natus

tus ſum, Latinus eſſe, jugi exercitatione ſtudui: in eo aſſiduus, ut quem Sacra & Jura ſermonem retinuêre, meum facerem, Scientiis Hiſtoriiſque ſive ſcribendis, ſive interpretandis applicarem. Quid fecerim, alii judicabunt: CONATUS IN LAUDE SUCCESSUS, IN CASU EST. Inter alia igitur Opera, BARBARORUM IRRUPTIONES IN ITALIAM, & occaſum ſimul Imperii Romani, ſex libris breviter complexus ſum: quod hîc ſpecimen mitto; ſed à ſecunda cura, & ſine commentarii veſte, quam adideram, faciliùs ſic quidem circumferendum. Ut ut eſt, oculos tuos ſubit, cenſuræ ſe ſubjiciens. Quantùm verò induſtriæ meæ tribuere poſſis, hinc ſtatues. Eandem ſi in obſequium ſcribendi admittes, audebo vivere, & à tuo nomine famam, à tua benevolentia ſecuritatem derivare. Vale Illuſtriſſime & Exellentiſſime Domine, & quemadmodum à Maximo Rege noſtro in Britāniam Legatus miſſus es; ut ſimul Belgium viſeres; in Belgio hanc Urbem & Academiam, in Urbe Arcem Palladi conſecratam luſtra & illuſtra. Hîc ſcribo: XV. Kal. Jun. ∞. I Ↄ C. XL I.

EPISTOLA

EPISTOLA LVI.

Bruxellam.

JACOBO HIERONYMO ROZDRAZEWCKI,

Comiti De Rozdrazew.

TU o magis ſanguine, per virtutem effuſo, quàm meo calamo virtuti impenſo Illuſtriſſimi fratris tui Epitaphium nobilitatum eſt. Non profectò tam facilè eſt pulchrè ſcribere, quàm fortiter pugnare, quando ad gloriam armati procedunt Fratres, qui nullo Sacramento obligantur: alter occumbens, ut ſemper vivat; alter ſuperſtes, ut ſemper quodam modo pugnet, æternusque ſit. Sat apud exteros gloriæ partum: Virtutem in te, ipſa deinceps Patria veneretur. Quocumque verò, & quacumque ibis, Magnus eris: Veſtigia tua, velut lumina; quæ cùm Italia excipiet, talem ſibi velit Civem natum eſſe, tali indole, animo, ingenio. Sic ſcribo, ut magis agnoſcam beneficium, quod adoleſcenti, à me commendato, Benignitas Tua conceſſit: adeſſe

deſſe poſſe ſequi ἀριστῶν. Hic verò, ut ſine velo loquar, filius meus eſt recenter ex Hiſpania redux, ubi in Familia Marchionis MIRABELLII aliquot annis fuit, gladii honore, ut fieri ſolet, ab eodem donatus. Nunc igitur Tuus erit, & me magis faciet, qui Nominis Tui æternitatem toto animo veneror. Lovanii, in Arce, XVIII. Kal. Septemb. CIↃ.IↃC.XLI.

EPISTOLA LVII.

Bruxellam.

VIRGILIO

MARCHIONI MALVEZZIO;

Legato Regio.

MISERAM nuper Præfationem Hiſtoriæ latinè adumbratam, quæ ſi omnino mala non eſt, bona fortaſſis fieri poterit feliciùſque expoliri. Sed judicio tuo, & ſimul indicio opus erit, ut ſciam quid peccaverim, quidve ad incudem revocari debeat. Faciet quoque prima emendatio ad cautelam eorum, quæ

quæ ſequuntur: omnis enim in principio, aut præcipua difficultas eſt. Aliquot etiam poſteà pagellas verteram, & faciliori calamo, quia ad ipſam Hiſtoriæ libertatem provectus. Curſus in mari eſt, labor in portu: & plus negotii exire, quàm navigare. Sive in ſenſu, ſive in verbis hallucinatus ſim, mone. Abſente BLITTERSWYCKIO meo, vice ejus hic BIAEUS, etiam meus, ſuſtinebit, & oracula tua excipiet. Sic utrumque amo, & cauſſæ ſunt; ut exiſtimem, dignum tuo quoque amore eſſe. Audebunt igitur, ex occaſione, & negotia noſtra communia, & vota auribus tuis, patrocinioque committere. Fave BIAEO meo, fave BLITTERSWYCKIO, & ad me beneficium veniet. Vale Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine. Lovanii, in Arce, Poſtridie Non. Decemb. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA LVIII.

Bruxellam.

EIDEM.

MODESTIAM tuam video cum facundia, humanitatem cum eruditione certare.

certare. Hoc eſt profectò loqui, & amari poſſe, hoc eſt ſapere, & laudem mereri. Modeſtia hunc amorem gignit, & ipſa diſerta eſt: humanitas laudem, & aliquid cœli habet. Quid facio verò? Facundiam ego tuam verſione meâ violo, obfuſco eruditionem. Ædificium ſolo, an ſolum ædificio cedat, Juriſconſultorũ filii diſputent: ſed in admiranda hac Hiſtoria (præfiſcinè dixerim) & ſolum & ædificium pari jure, & ſic elogio tuum eſt. Solum, rerum velut fundamentum eſt, & ingenii gravitate conſtat: ædificium, ſermonis ſtructurâ, & elegantiâ ſplendet. Meæ hîc igitur ſolæ partes ſunt, & ſolum ædificium latinâ quadam imagine adumbrare. Pingo arborem, quæ & naturâ & inſitione tua eſt, trunco ſolida, ramis pulchra, flore ſimul & fructu fœcunda: meam ſteriles dumtaxat lineæ tenueſque colores faciunt. Sed quemadmodum tua eſt, utilis ſemper erit; quemadmodum mea, fortè delectabilis: tua, tanquam in horto, mea tanquam in atrio: iſthic, ut arbor, hîc, ut imago, quemadmodum dixi. Hanc igitur pergo pingere, ut tuam quoque faciam; te volente, cui jam initia placuerunt. Si & iſtæ non infeliciter paginæ verſæ ſunt, majori reliquas fiduciâ aggrediar; majori fructu, ſi, ubi infelix fui, tempeſtivè intelligam. Ad ſummam, & hîc & omnibus, totus

cupio

capio tuus:quidni,& illos qui mei ſunt,& quos maximè amo BLITTERSWYCKIUM & BIAEUM? Amo, quia bonos; & adhuc commendo, quia amo: duos in uno, an in duobus unum? Duo homines ſunt, unus Amicus; duo corpora, mens una & conſpirans. Sic & paucu-los alios habeo, fide & familiaritate exploratos; in quibus cùm una virtus ſit, omnes unius inſtar ſunt, & numerum excludunt. Parvum iſtud Amicorum meorum agmen eſt, quo ſtipatus, inimicos (aliqui etiam ſunt) aut animosè contemnam, aut ſecurè negligam, Nominis Tui auctoritatem, in ſubſidium, ſi opùs, advocaturus. Tu nobis, qui tui ſumus, & Litterarum candorem colimus, Dux eris; à tua tutela ſecuritatem capiemus. An nimis audacter? Ad modeſtiam tuam redeo: an nimis familiariter? Ad humanitatem. Vale Magnum Sæculi Exemplum, & vive. Lovanii, in Arce Regia, XII. Kal. Januarias. ꝏ. I Ↄ C. XLI.

EPISTOLA LIX.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO,

Comiti Aſſumario, Belgicæ Gubernatori.

SI Patrem Litterarum cauſsâ, quidni & Filium, Armorum, Excellentia Tua benignè reſpiciat? Tuæ litteræ ſunt, quas heroico patrocinio; Tua & arma, quæ ſummo imperio non prudenter tantum, ſed feliciter quoque ſuſtines, totam nobis, ut ſic dicam, Palladem exprimunt, totum Martem. Ego, qui Palladem colo, audeo tuo patrocinio felix eſſe: Filius meus, qui Martem, imperio tuo fortis eſſe, & meritis jam ſuis nitens, ad Militiæ præmia adſpirare. ANDREAS PUTEANUS eſt, laborum, periculorum, vulnerum fiduciâ, optionis, ſive Propræfecti locum petit: in ea autem turma, in qua Signum hactenus, & cum laude tulit; imò meâ, quæ præfectum, perilluſtrem Virum D. SALVATOREM RUFINUM, natione Mediolanenſem, accepit.

pit. Aliquid Patriæ ille quoque in Filio meo invenit: uxor enim mea, Mediolanenſis eſt, & è Turrianis. Faveat igitur Excellentia Tua votis noſtris: meis, Litterarum cauſsâ; Filii, Armorum. Exurgam Litteris, ſi exurgere Armis Filium videam. Quod ejuſmodi beneficium erit; ut ſi quid Litteris ego potero, ſi quid ille Armis, totum Excellentiæ Tuæ in gloriam ſimus relaturi. Ita vale & vince. Lovanii, in Arce, III. Non. Januarii, anno novo. ∞. I Ɔ C. XLII. quem D. O. M. felicem faciat.

EPISTOLA LX.

Bruxellam.

EIDEM.

PUBLICIS ego votis mea privata ingenti affectu jungo, ſummum numen venerans, ut Provinciæ, tuo unius Imperio à Rege commiſſæ, felices ſint, hoſtemque hinc inde armis ferocem, timere deſinant. Belli fortunam tua nobis virtus faciet, victoriam vires Regiæ, ſed virtute admirandæ. Ad Nomen venio, ut omen inveniam. Melleus

 nobis

nobis MELLUS, & ſuavis erit, in Gubernatore Patrem habituris; Marius ASSUMARIUS, & virili, imò Romano Dux animo, ſive in Gallos, ſive in Batavos pugnandum. Infra meritum tuum, hoc tamen Elogium; quia Litterarum ac Sapientiæ ſtudia ſimul adfers; tam cultus ingenio, quàm fortis pectore, & quaſi EPAMINONDAM qui omnis virtutis exemplum fuit, ævo noſtro reddas. Talem te Sicilia experta eſt, Germania admirata, & fama ubique confeſſa. Talem ego annos aliquot venerari in hac Arce potui, ut felix eſſem, quia Palladem meam melleo Patrocinio tuo dedicabam. Adhuc dedico, votumque augeo, ut non Provinciæ tantùm ſed & Litteræ Regimine Tuo felices ſint; quæ non ab uno quoque hoſte infeſtantur. His me opponam, ſed auſpicio tuo, & me tuum æterno cultu profitebor. Vale. Lovanii, in Arce, Eid. Januarii. ∞. I Ↄ C. XLII.

EPISTOLA

EPISTOLA LXI.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Legato Regio.

LUCULENTUM ſanè à te munus, & ſimul litteras, tanquam munus accepi: altero auctior, altero felicior, qui libros in divitiis, viros libris claros habere in deliciis ſoleo & venerari. Quanti igitur mihi AVIENUS eſt, nobiliſſimâ editione adornatus! Quanti RAMIREZIUS, cui dignitatem ſuam Muſæ, & ipſe AVIENUS debet! Terram & mare felici deſcriptum carmine video: utrobique magnum ac celebre Nomen Tuum eſſe, & tanquam ſalutare bonis ingeniis ſidus illucere. In me verò etiam ſapientiâ tuâ benignus es, & jacentem erigis, languentem conſolaris. Sed hoc eſt ſcire maximè Litteras, Philoſophari. Agis, quod Amici eſt, & oſtendis profectò, Amicum te fuiſſe, etiam cùm

non oſtenderes. Quid? agis, quod tuum eſt, qui ingenium omne, doctrinam, famam in officia humanitatis diſpenſas. Talem & Illuſtriſſimum Doctiſſimumque LUPUM ZAPATAM inveni, & admiratus ſum, totum ex virtute & elegantia factum; totum tuum, quod ad laudem ſatis eſt. Aliquis igitur & ego nunc eſſe incipio, quia tuus; omnia paratus agere, quibus judicent omnes, me tuum eſſe. Sic verò colligere opera mea omnia, & uno volumine edere, quemadmodum hortaris, cupio: quæ varia & ſparſa ſunt, & fortaſſis pretium apud plures invenient, quia tibi uni placuerunt. Poſt UNUM, & UNAM ſcripſi, Sereniſſimam, inquam, Principem noſtram, cœlo nuper receptam; cujus vitâ & morte IDEAM HEROICAM breviter repreſentavi. Mittam unâ cum catalogo librorum meorum, qui vel in lucem miſſi ſunt, vel parati ut mittantur. De LUITPRANDI operibus lætum fuit intelligere. Abſolve, ede; & reliquos Bibliothecæ tuæ theſauros, ſine Reipublicæ eſſe: ita enim tui magis erunt. Vale, vive, & me amare perge. Lovanii, in Arce, Eid. Mart. ꝏ. I Ↄ C. XLII.

EPISTOLA

EPISTOLA LXII.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO,

Comiti Aſſumario, Belgicæ Gubernatori.

URBES capere, minoris jam fortunæ eſt; exercitus expugnas. Hoc eſt, non vires tantùm hoſtium, ſed animos debellare. O Virtutem! O Victoriam! Et quid niſi à Deo? Audebit omnia, qui numine armatus eſt: daturus optima, quia à Deo. Hanc fiduciam à ſumma virtute tua capimus; gaudia in ipſis auſpiciis tam luculentis, ut felicitatem compendio cumules. Quæ voces! Qui vultus omnium! Meas & meos hîc nunc calamo indico magis, quàm exprimo, majori ingenii molimine oſtenſurus, ita vivam, armorum gloriam in Muſarum ſede coli. Surgam certè animo, & magnam fortunam tuam ſequar; non infelix fortaſſis ſcriptor, quia argumento attollar. Ut nunc quidem ſtudia mea ſunt, ad Elogia converti ſtilum; quæ Hiſtorica ap-

 pello,

pello, & THEATRUM HEROICŪM conſtituent. Hoc opus Excellentiſſimo favore tuo, ſatis etiam productum, abſolvam. Vale & vive magne Heros, ac Patrone, & perge Hoſtes vincere, me clientem amare Lovanii, in Arce, Prid. Kal. Junias. ∞. IↃC. XLII.

EPISTOLA LXIII.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Legato Regio.

AUT Litteræ non erunt, aut æternum erit Magni RAMIREZII Nomen; ſi quid Litteris potero, non amorem tantùm, ſed honorem toto pectore expreſſurus. Minùs dico, quàm debeo: tuo enim beneficio vigere, in ipſa jam ſenectute incipio; erectus, cùm jacerem. Prorsùs è nocte ad diem venire videor, quia tua mihi benignitas illuxit: illa Leucotheæ ſimilis, & aureum Solis jubar adducens. Epiſtolam Regiam, non poſſum niſi felicita-

tem

tem appellare meam; ſed à te procuratam. Multùm igitur in te Regis eſt, & multùm in Rege tui; Litterarum ſtudia, quia tua ſunt, Liberalitate Regiâ attolluntur. Ut gratiam referam, & Regi, & tibi, quem accepi favorem, impenſurus ſum; Regi, cui debeo omnia: tibi, cui perſolvam. Sic me amare perge, & verè tuum habere. Lovanii, in Arce, x. Kal. Jul. ∞. I Ↄ C. XLII.

EPISTOLA LXIV.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO,

Comiti Aſſumario, Belgicæ Gubernatori.

POſt ORCHESTRAM BURGUNDICAM, ALBERTUM II. IMPERATOREM typographus excudit; quem ut mitterem, atque adeo recentem à prælo, officii mei arbitratus ſum. Ὀλιγοχρόνιος fuit: ſed tantò major imperantis & pugnantis gloria, quantò anguſtiore temporis ſpatio virtus

circumſcripta, feſtinavit igitur, & compendio ad æternitatem venit. Ego, an Hiſtoriæ ſcribendo ſatisfecerim, neſcio: & audeo tamen bonum conatum ipsâ etiam brevitate commendare. Hac ſanè PODIUM quoque PHILIPPICUM inſtruxi. Reges, inquam, Hiſpaniæ, hoc Nomine, & Auſtriacos; quibus Princeps quoque Aſturiæ PHILIPPUS (& nónne ſic pręcipuè nominandus?)accedit. Poſt Imperatores deinde liberam ad belli Duces manum transferam, in proximis THEATRI ſubſelliis collocandos. Satis operæ erit; ſatis etiam animi, quem ab Excellentia Tua capiam: lætior nunc ſanè poſtquam tam benigno circa filii mei JUSTI petitionem reſponſo recreatus ſum; qui mecum hanc gratiam Magno Senatui Mechlinienſi à Secretis eſſe, & ſperat & expectat: paratus mecum toto ingenio ac ſpiritu, beneficium profiteri. Ita vale, vive, vince Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine & Patrone Magne. Lovanii, in Arce Regia, III. Eid. Octob. CIↃ.IↃC.XLII.

EPISTOLA

EPISTOLA LXV.

Bruxellam.

EIDEM.

VERBORUM compendio votum concipio: ut Excellentiæ Tuæ novus hic annus novarum victoriarum ad perennem gloriam exordium ſit; niſi progreſſum potiùs debeam augurari. Expugnaſti Urbes, fudiſti Hoſtes; tam obſidionibus, quàm præliis, & fortis & felix, fortunam deinceps pro arbitrio habiturus. Non laceſſo cœlum, non fatigo ſtellas, ut fata eruam: Ingenium Excellentiæ Tuæ, nobis cœlum eſt, Virtutes, ſtellæ: & hinc audeo divinus eſſe, ſed fidem lucentium ignium in proſperitatis ſubſidium ac ſecuritatem advocare. Cedant ex animi ſententia, ſive conſilia ſive facta; & Belgarum, quos regis fida obſequia, læta fata efficient. Permitte tantùm, ô Magne Heros, ut quemadmodum ſtudiorum meorum ratione, peculiari cultu feror; ita à voto ad encomium mox ſtilum transferam: ſic quoque Miles ego tuus (nam Belgam eſſe, ſatis non eſt) & tanquam Litterarum

rarum arma impendam. Alii ſacramento, ego beneficio obſtrictus ero, Imperatorem meum non per bella ſolùm omnia, ſed per tempora ſecuturus. Ita vive, Excellentiſſime Domine, qui nunquam morieris, & me ſine gloriæ tuæ mancipatum eſſe, cui quod reliquum eſt vitæ meæ devovi, tuo favore victurus. Lovanii, in Arce Regia, ipſis Kal. Anni novi. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXVI.

Bruxellam.

EIDEM.

VErè nunc & intelligo & experior in Excellentiſſima poteſtate Tua, ſidera eſſe, fata facis. Triſtem hunc à fortuna mea expectabam annum, & lætum à Benignitate Tua accipio, aureo planè auſpicio relucentem. Recedunt curæ, quæ tanquam nubes ac tempeſtates animi ſunt, & in ſerenitatem ſuam ingenium exurgit. Licebit igitur liberiori calamo Elogia, quæ cœpta ſunt, abſolvere, & majorem paulatim Heroum numerum in THEATRUM meum inferre. Facundus ero,

ero, quia Melleâ prorſus Excellentiæ Tuæ aurâ imbuor, quam non poſſum niſi cœleſtem appellare. Alibi humana, à Genio tuo divina omnia ſunt, & in beneficiorum copiam exundant. Hujus ego, cùm particeps ſim, novam in ſenio juventam ſumo, & nunc demum vigere in ſtudiis videor, cùm hactenus languerem. Gaudeo, gaudeo: quia novæ ſcribendi redeunt vires, laudibus Excellentiæ Tuæ par ero: quas cùm pangam, felix ex aſſe demum ero; ingratus, niſi pangam. Ita finio, & te valere, Magne Heros, cupio, & me ob ſingulare beneficium æterno nexu devotum habere. Lovanii, in Arce, Eidem. Januarii. ꝏ. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXVII.

Coloniam.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

Non totum poſſum ſæculum accuſare, quod tuis & virtutibus & elegantiis illuſtratur.

luſtratur. Diem in nocte video, ſidus inſtar Solis. Ingenium tuum, quid niſi jubar eſt? Mores, quid niſi radii? Cedent tamen nubes aliquando, cedent tempeſtates, & optatam ſinent Pacis auram è cœlo in terram derivari. Cum novo hoc anno ſpem novam capimus, quem publicè felicem, tua nobis incolumitas faciet. Hinc ſanè & mea dependet, tuæ, repetendo quotannis voto, pridem conſecrata. Sive amorem tuum, ſive beneficia, ex amore profecta reſpiciam, obſtrictiſſimus ſum: atque hæc nunc epiſtola tua benigniùs neſcio, an Latiniùs ſcripta, beneficii pretium apud me invênit. Epiſtola; tanquam luculenta quædam ſtrena; quam Gratiæ & Muſæ non Romanæ tantùm, ſed Atticæ comitantur. Vidi verſus, & duplicem illam elegantiæ venam veneratus ſum. Vidi conſtantiam Eminentis inter Antiſtites CHISI, Eminentis inter Doctos Præſulis; Dolore, & ingenio tuo dignus fuit; dignus vitâ, quam virtute emit; dignus gloriâ, quia mortem non exhorruit. Tua igitur ſolertia, gaudia noſtra ſunt lætamur Litterarum cultores, Virum Sacræ Purpuræ proximum, & ſupremo faſtigio dignum, à tam gravi periculo ſalvum eſſe, & ad ſcribendi quoque officia rediiſſe. Ego ecce accepi litteras, quas è lectulo & quinquageſimo

quageſimo

quagesſimo à ſectione calculi die dictavit. Breves quidem, ſed amore uberes,& tanquam non ægrotaret. Tam eruditio nimirum ſuavis eſt. Tibi quoque, Eruditiſſime Heros, qui ſcripta mea tanti facis, ut in oblectationem admittas. Audebo igitur mox & PODIUM PHILIPPICUM mittere. Elogia, inquam Hiſpaniæ Regum, qui hactenus Auſtriaci, Nomen PHILIPPI venerabile reddidere. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce, Eid. Januar. ∞. IↃC.XLIII.

EPISTOLA LXVIII.

Bruxellam.

ANTONIO DE AVILA ET TOLEDO,

Marchioni Veladæ, Legato Regio.

SUMMAM Inſubrici Regiminis ac Militiæ Præfecturam virtutibus meritiſque Excellentiæ Tuæ à Magno Rege noſtro commiſſam eſſe, gaudent boni omnes, ſed peculiari ego ratione & affectu, quem publicè malim quàm

lim quàm privatim explicare. Concipio votum, ut feliciter omnia & glorioſè; paraturus Elogium, quo inclytum Nomen Tuum in Theatrum, quod paro, Heroicum, inferatur. Cujuſmodi hoc opus futurum ſit, præter Duces Burgundos, Cæsaresque Auſtriacos, hi nunc Hiſpaniæ Reges PHILIPPI oſtendunt. Mittere eos, velut in ſpecimem auſus ſum, & per filium meum Philippum Hesselum, ut is ſimul & mea & ſua Excellentiæ Tuæ obſequia offerret. Ex parte Inſuber eſt, dum Matrem è Turrianis Inſubribus habet. Trahitur igitur innato quaſi deſiderio, ut Mediolanum, alteram velut Patriam ſuam videat; & hoc ego audeo deſiderium Excellentiæ Tuæ commendare. Si recipi in Familiam, in comitatum, in miniſterium aliquod poſſit, maximum mihi ſolatium, illi beneficium ſit, decus utrique. Hujuſmodi etiam hic adoleſcens eſt, ut totâ indole ſuâ, ingeniique dotibus Excellentiæ Tuæ i citurus ſit, quemadmodum Marchioni Mirabellio, à quo in Hiſpaniam ductus fuerat, placuit. Ne plura dicam, fidem ego meam interpono. Linguas callet, Latinam, Hiſpanicam, Italicam, Gallicam, Belgicam; & ſic uſui eſſe poterit, daturus operam, ut mandatis Excellentiæ Tuæ par ſit; & favorem

& favorem mereatur. Ita vale, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine: vale, inquam, vive, & virtutibus tuis Inſubres illuſtra. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXIX.

Bruxellam.

VIRGILIO
MARCHIONI MALVEZZIO
Legato Regio.

PRo affectu meo & cultu cœleſtes nunc etjam Genii tui dotes veneror, & abeuntis, ut ſic dicam, lumen adoro. Etenim de itinere ab Amicis monitus, & in triſtitiam datus, non poſſum non aliquam bonis ſtudiis caliginem timere. A Sole deſeri, id verò eſt noctem expectare. Sed quid? Manet nomen tuum, & ubique jubar eſt; manet ingenium, quod diem ubique facit. Atque ego nunc petere imaginem tuam audeo, quam in Arce hac ſpectandam, & magis in pectore meo collocem.

locem. Quantum ſolatium! Quantum exemplum! Quantum lumen! Ampliùs rogo ut ornare hanc mihi imaginem Elogio liceat. Stilum à me ſumpturus, ſcribendi materiam ab humanitate tua accipiam. Familiam ac natales velim attingere, & quæ in reliquo vitæ curſu decumana ſunt; quæ fortunæ, quæ virtutis & animi. Non exiguam partem ſcripta faciant, quæ incomparabili ſubtilitate, brevitate, elegantiâ non Auctorem tantùm ſuum, ſed ſæculum Auctoris illuſtrant. Scripta dico, cùm & facta poſſint appellari. Ubi Suada, par prudentia eſt, omneſque ſimul virtutes continentur. Arduum mihi opus impono, & ſimul modeſtiæ tuæ gravis ſum; ſed quia peccare non potero, fiduciam aſſumam. Fave igitur, Excellentiſſime Heros, imaginem peto, ut elogium reddam, peto ut debeam; redditurus, ut obſtringar. Quia calamus in manu, ab officio, quod Regi, & Reipublicæ debeo, non recedam. De Magiſtratu Urbis Bruxellenſis renovando agitur. Nominati à Tribubus & è Nobilitate Septemviri, quemadmodum ſeptem Familiæ ſunt: quorum omnium primum occupat locum intimus ille Amicus meus, GUIL. BLITTERSWYCKIUS, ut nomine, ſic animo nobiliſſimus: ſic natus, ut à ducentis annis Majores ſuos in Magiſtratu
habuerit

habuerit. Sic educatus, inſtructus, exercitatus, ut quemadmodū hactenus geſſit Rempublicam, verè mereatur: prudens, rectus, indefeſſus; bonis omnibus, & quibus innotuit Magnis, gratiſſimus. Virtutem etiam Litteris & doctrinâ ad laudem dirigat, ab avaritia ſordibusq; vel maximè alienus. Et quis non utile Regi, ac Reipublicæ cenſeat, hunc virum publicè occupari? Vacat in Curia Urbis, Theſaurarii munus, ac neſcio, an alius aptior ſit. Favorem igitur tuum hîc imploro, quem meo loco habiturus ſum, ac ſi in me, meamque familiam, totum hoc beneficium conferatur. Neſcit ille, me hoc agere, ac neſcire debet: ſciet poſtea quam gratiam, ac cui debiturus ſit. Hanc maximè, ut quod accipiet munus, cum utilitate Regia adminiſtret: illi maximè, cujus exemplo diſcimus Regiis commodis, noſtra nobis anteferenda non eſſe, nec publicis privata. Magnum hujus verò muneris momentum eſt, in ſubſidiis nummariis, quæ haberi ab ordinibus Brabantiæ, Urbeque Bruxellenſi ſolent, non moroſum, non difficilem Theſaurarium eſſe: quod vitium in BLITTERSWYCKIUM nequaquam cadit, Excellentiſſimo Gubernatori noſtro addictiſſimum, atque adeò familiarem, majori etiam apud ſuos uſurum auctoritate, quorum grati-

am poſſidet: imò verò quorum ſecuritas liberalitatę erga Regem, hiſce potiſſimùm temporibus ſtabilitur. Quid prętereà dicam? Ut me Benignitas Tua amet, ut BLITTERSWYCKIUM meum, toto animo rogo. Sed de me, ſtudiiſque meis ſcripturus adhuc ſum, qui ad Elogium pangendum magno & affectu & cultu excitor, hâc famâ victurus. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Julias. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXX.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. Iacobi, Legato Regio.

SALVUS ſum, quia Te ſalvum lego. O literæ! O deliciæ! His ita nunc recreatus ſum, ut non unam eo animo curam profligârim. Vivat mihi, valeatque Magnus RAMIRESIUS, & nullam fortunam, nullum etiam fatum timebo. Cùm moriar verò, ipſa, quæ

quæ relinquam ingenii monumenta, Patronum invenient, imò Tutorem. Sexageſimum nonum ago annum, & ab ipſa ætate admoneor, ſarcinas colligendas eſſe, antequam è vitæ proficiſcar. Si homo eſt bulla, eò magis homo. Operam igitur daturus ſum, ut in Cæſaribus pergam, ſcribi cœptis, & AQUILAM AUSTRIACAM tempeſtivè abſolvam. Pluſcula ſunt, quæ in ſcriniis jacent, partim perfecta, partim affecta, ab amicis hactenus flagitata: ſed poſcunt illa aliquid etiam temporis, ut ultimam manum accipiant; aliquid laboris, ut typis adornentur. Parare velim CIRCULUM URBANIANUM; cujus hactenus Epitome dumtaxat prodiit. Velim de NUNDINIS ROMANIS librum: de NATATU: VITAE HUMANAE BIVIUM: APHORISMOS POLITICOS, quibus Ariſtoteles repræſentatur: LINEAS MUNITIONUM ad ævi noſtri & militiæ uſum: ÆRARIUM MILITARE: D. VIRGINEM THENENSEM: CENTURIAS aliquot EPISTOLARUM: unam MARTYREMATUM: denique POEMATA partim Latina, partim Belgica. De FASTIS dubito, quamvis paratis, niſi Epitomen excerpam. Sunt alia & pluſcula, de quibus nihil adhuc ſtatuo, tollere debeam, an abjicere.

jicere. Interim placuiſſe PODIUM PHILIPPICUM, & ORCHESTRAM BURGUNDICAM, tam lætor, ut exultem. Hoc agendum quoque, ut imagines, ſed à meliori manu, accedant. Quæ de ANAGRAMMATISMO ſcripſi, hîc nunc habes, Grammatici ferè comatis; quemadmodum & illa CARAMUELIS, Amici noſtri de CABALA: WENDELINI verò LAMPADEM τετρυλυχνον quis non admiretur? Hic ille vir eſt, ſæculo noſtro major, qui TETRACTUM nuper PYTHAGORAE nobis explicavit, jam ſeneſcens quoque: in eo totus, ut cœleſtes tabulas ſuas nobis depromat, magno labore, ingenio, curâ elaboratas. Ipſe libellus verò quàm exiguus! Et tamen immenſus. Vincit volumina, licèt maxima, & Mathematicos, quot ubique ſunt, exercet, imò occupat. De HESSELO filio meo, addo? Is cum Marchione VELADA in Italiam profectus eſt, ut propitia ſibi fata in materno ſolo provocet. Cùm diſcederet verò, tenerrimè à me petiit, ut ſcripturus totum ſe affectui tuo commendarem. Det Deus igitur, felix hoc iter ſit! Et aliquis etiam apud Inſubres ei RAMIRESIUS obtingat! Sollicitus omnino ſum, ut ſciam an SALAMANCA advenerit, & imaginem meam, faſciculum

lum litterarum, atque exemplaria Diplomatum Arcis dederit. Geminum hoc beneficium eſt, quod à Magno Rege meo expecto, quod tuus mihi favor impetrabit. Si accepero, vivere nunc verò incipiam, tandemque tranquillus eſſe, diei, ut ſic dicam, fructum in occaſu collecturus. Bene ſperare, imò confidere, candidiſſima me verba tua jubent, amoris & officii plena. Quòd igitur amplecteris petitionem meam de Arce, quomodo ſatis æſtimabo? Quòd æquam & cum ratione inſtitutam judicas, quomodo ſatis agnoſcam? Bene eſt: intelligo ad magnitudinem Regis noſtri pertinere, Litteris & ingenia erigi. Intellexit ille, quantus in Litteras, omniq́ue doctrina ac virtute ſit RAMIRESIUS, quantumq́ue ingenio meritiſq́ue excellat, cui honorem ſummi Concilii Caſtellæ, recenter dedit. Sanè, quia tibi datus eſt, jam ſummum eſſe ſcimus; ſed longum & feliciſſimum vivemus. Sic vale, ſic me amare nunquam deſine. Lovanii, in Arce Regia, Palladis Sede, XV. Kal. Jul. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXI.

Cracoviam.

STANISLAO à KONIECPOLE KONIECPOLSKI,

Caſtellano Cracovienſi, Exercituum Regni Poloniæ Supremo Præfecto.

VEnit ad me cum litteris Excellentiæ Tuæ, & genere & nomine ſuo digniſſimus Adoleſcens, vultu & ipſo genio ſatis exprimens quis eſſet, aut unde miſſus, & in quem etiam finem. Et Genus quidem, cùm ſummum ſit ac nobiliſſimum, non poteſt non ad æterna aſſurgere, qui inde ortus. Nomen STANISLAUS à KONIECPOLE promittit omnia: cui ipſum videtur ex aſſe ingenium reſpondere. Non minùs virtuti, quàm doctrinæ & eloquentiæ aptiſſimum, nec non rebus omnibus, quæ virtute & eloquentiâ ad gloriam perducuntur. Surculum Excellentia Tua vocat: nos quantùm in nobis erit, operam dabimus, ut in Arborem excreſcat, eos

datarum

daturam Reipublicæ fructus, qui à bona inſtitutione expectantur. Huc facient non publicæ tantùm diſſertationes meæ, ſed privata quoque colloquia, ac domeſticæ exercitationes, contubernii occaſione. Sic vivimus, ut ipſa menſa Schola ſit, & ipſum otium ad negotium, remiſſiones ad ſtudia referantur. Bona omnia promittere Excellentiæ Tuæ audeo: quia præter excellens ingenium, promptiſſimus quoque in STANISLAO animus eſt, ac diſcendi voluntas; ut in me docendi. Quemadmodum partibus meis defuturus non ſum; ita & me, & ſtudia mea, Excellentiæ Tuæ devoveo. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Octob. CIↃ IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXII.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO

Comiti Aſſumario, Belgicæ Gubernatori.

NON ut occupem, ſed recreem Excellentiam Tuam, hoc nunc Elogium mitto, Magni

to, Magni Regis, Magni Imperatoris, niſi Maximum potiùs debeam appellare. Nomen ipſum CAROLI ad laudem facit, quod plenum in Auſtriaca Familia ſplendorem accepit, Germanicæ alioquin originis, quâ Vir fortis, conſtans, imò verò Heros ſignificatur. Sed magis etiam animo, quàm nomine CAROLUS Heros fuit, virtute, quàm appellatione: ad bella, ut ſic dicam, natus; cùm pacem ſemper quæſierit: par hoſtibus omnibus; cùm ubique oppugnaretur, alibi etiam infelix eſſet. Quæ magnis vix libris abſolvi, ut geſta ſunt, poſſint, ad compendium duxi & Elogium nominavi: tantò minori temporis jacturâ perlegendum, quantò brevius eſt, & omnia tamen, aut certè præcipua, comprehendit. Sic non inutile eſt, nec injucundum, vaſta terrarum ſpatia, exiguis deſcribi tabulis ac repræſentari. Si pictura delectat, hîc in imagine, Excellentia Tua videbit CAROLUM, ac ſimul bellorum noſtrorum imaginem inveniet: videbit in CAROLO Virtutes Heroicas, & ſuas ſimul agnoſcet. Has veneror, has quoque, ita vivam, ad Elogium reducturus ſum; adnitente verò BLITTERSWYCKIO meo, qui hoc agit, ut materiam colligat, ſuppeditetque: totus meus, & in hoc mecum certans, uter magis Excellentiam Tuam colat.

Vale,

Vale, Vive, Vince, Magne Litterarum Patrone. Lovanii, in Arce Regia, quæ tum demùm felix erit, cùm Excellentiam Tuam videbit: in Arce, inquam. x. Kal. Octob. cIↃ. IↃ. XLIII.

EPISTOLA LXXIII.

In Caſtra.

ANDREÆ CANTELMO,

Summo Militiæ Præfecto, & poſteà Catalauniæ Proregi.

TU â virtute ſtamus, parvisque fortes copiis ſumus, ad gloriam tuam nuper ab hoſte tentatis. Non dolus tantùm, ſed vis quoque rejecta eſt, atque luculentum ereptum AURIACO ſignum victoriam fecit. Ille captivos aliquot numerat & jactat, tanquam felix: tu cæſos, quia fortis. Victoria autem non lytro, ſed ſanguine æſtimanda. ANDREAM meum hîc etiam pro nomine ſe geſſiſſe, intelligo: pugnaſſe ſtrenuè, & potuiſſe capi. Hâc ſi virtute Excellentiæ Tuæ placuit, ne diſpliceat fortuna, & rogo, & jure quodam poſtulo.

poſtulo. Quid,aut quo modò AUBERTUS, ſcire adhuc non potui:ſed ſocium ejus & ephebum vivum, ſed ſauciũ inter cadavera repertum. Poterit igitur ubi ſanatus fuerit,vulnera in decora computare. Ego interea ſcripſi bella,tanquam calamo pugnârim. Illa CAROLI V. Summi Imperatoris; ut noſtra uelut in imagine repręſentarem. Vide & judica,Magne Heros,Magne Militię Dux, & concede ut tuâ porrò ſtilum gloriâ occupem,meque oſtendam tuum eſſe. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Octob. ∞, IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXIV.

Bruxellam.

DIDACO SAAVEDRÆ DE FAXARDO,

Legato Regio.

SCribendi libertatem ab ingenio tuo planè divino, & ab humanitate, blandiſſimo virtutum omnium ornamento, ſumo. Ingenium quidem cœleſti quodam lumine in SYM-

BOLIS

bolis Politicis reſplendens, ita pectus penetravit meum, ut inflammatus ſim, amoriſque delicias ab hoc igne derivem. Humanitas accedit illa Sapientiæ aura, Eruditionis anima, & amorem ad familiaritatem impellit. Video, video, quicquid Sapientiæ eſt, quicquid Eruditionis, in his imaginibus, in his diſſertationibus; nec minùs doceor, quàm oblector. Cedant picturæ aliæ: hic nobis Apelles eſt, qui ingenio & lineas, & colores omnes vincit. Cedant libri: hic nobis Scriptor eſt; qui eloquio totam complexus Sophiam, unus perfectam Principis Politici Christiani Ideam, effor mat. Nihil amœnius, nihil utilius: ubi flores ſimul fructus ſunt: in horto horreum, in horreo hortus. Inveniunt oculi delicias ſuas, divitias animus, & expleri poteſt. Quàm nihil igitur Paradinus, qui Symbola ſcripſit Heroica, paſſimque æſtimatur, in medium protulit: quàm multa etiam malè. Reliqui, conſtituere hanc amœnitatem conati ſunt, vix auſi uſurpare. Nimirum ſummo hîc ingenio opus, quod natura tibi dedit; ſummâ eruditione, quam induſtria, rerum & ſtudiorum uſus. Tua hæc gloria eſt, ô Virorum Phœnix, qui uno volumine, centumque Symbolis comprehendere

potuiſti,

potuiſti, quod aliorum mille libri non exhibeant. Hîc eſt, quidquid ubique eſt, quidquid vetuſta & noſtra tempora habent, ſacra & profana. Exempla velut lumina ſunt, ſententiæ velut gemmæ, opus totum non niſi aurum, in omni doctrinæ cenſu, & ab omnibus, poſteris etiam æſtimandum. Prodeat igitur, ut publicum ſit, ut Principes omnes doceat, quo modò verè Principes ſint: ſe, alioſque regant, felices ſint, felices verò alios ſuo non minùs exemplo, quàm imperio faciant. Hoc meum nunc votum eſt, ſed tuum beneficium, quod tuo ingenio, tuæque eruditioni & Principes & Populi acceptum ferent. Ita vale, Excellentiſſime Domine, & ut amorem cultumque æternitati Tuæ dedicem, hoc ingenii mei munuſculum, velut pignus admitte. Lovanii, in Arce Regia, Prid. Nonas Octobris. ∞. I Ɔ C. XLIII.

EPISTOLA LXXV.

Bruxellam.

EIDEM.

SUo qui ingenio magnus, alienum etiam mediocre æſtimat, doctrinæ laudem humanitate

manitate extendit. Ego ſanè, qui aliquis tibi in litteris videor, affectu imò & epiſtolâ dignus; doctrinam tuam neſcio, an magis humanitatem extollam. Geminæ hæ, ac lucentes in magna & Fortuna & Dignitate, gemmæ ſunt, & ad belli tenebras diſpellendas (ô ſalutare ac divinum munus!) vel maximè faciunt. Quo modò ſilerem verò, cùm affectus tuus loqueretur? Reponis epiſtolam, & me totum pluſquàm amando rapis. Epiſtolam, ita me Deus, latinam, elegantem, nervoſam: in qua Auctorem DOCTISSIMAE IDEAE cognoſcere potui; ubique, ut omnia dicam, SAAVEDRAM: ſed libens tam luculento Operi verſionis impendam operam; ut quia meo quæſivi ingenio famam, tuo inveniam: quod maximum operæ & pretium, & præmium erit: quodque unum admittam. Placuiſſe interim BISSEXTUM meum, vehementer gaudeo. Sed UNUS & OMNIS, veriſſimo mihi Symbolo SAAVEDRA unicus Heroicorum Symbolorum Architectus deinceps erit. Ita vale, & me amare perge. Magnus parvum, ſed tuo affectu (cui totum me devoveo) ſurrecturum, Lovanii, in Arce, ipſis Eid Octob. ∞. I Ↄ C. XLIII. In Arce, inquam, Regia, quæ ſic tua eſt, à te videnda, ut ſplendorem capiat.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXVI.

Coloniam.

CONSULIBUS SENATUI POPULOQ. COLONIENSI.

NObiliſſimi, Prudentiſſimi, Magnificentiſſimi DOMINI, Si animo magis quàm corpore vivimus, magnam inclytæ Urbi veſtræ partem originis meæ debeo: Urbi Regiæ, Urbi virgineæ; in qua non quidem natus, ſed feliciùs renatus ſum; quia Doctrinam quæ vitæ quaſi vita eſt, adoleſcens hauſi. hoc tam luculento beneficio, cùm veſter eſſem; inſuper gaviſus ſum dignum me habitum, cui tanquam veſtro publicas Senatûs vices in Actu Solenni Eximii Patris DINGENII Lovanii cohoneſtando, demandaretis. Si favorem ſpecto, non ſatis quis ſtatuat, plúſne honoris Candidato Veſtro, an mihi; Civi Veſtro, an mihi tanquam Civi, delatum ſit. Ille ad Supremam Sacræ Doctrinæ Lauream publicè evehendus, ſpectari à Patria, pro pietate ſua, pulchrum cenſuit. Ego, ut Patriæ officia

officia præſtarem, adeoque ut ipſam repræſentarem, electus à Vobis ſum, quia veſter, & eâdem pietate obſtrictus. Gratiam igitur ſcribo, & ſimul beneficentiam veſtram veneror, liberaliter in candidatum, omneſque ſimul Convivas manantem. Etenim ut miſſum, ita oblatum eſt vinum: quod cùm optimum, & prorſus Opimianum eſſet, dubitare nemo poterat, unde mitteretur. Cùm ratio quoque Proëdriæ tam in Schola, quàm in Epulo habita ſit, palam erat, quo ſuam loco, & ſeſſione referrem. Agnovit quoque Academia Academiam, filia matrem; & quia Ubium tam inſigni titulo evexit, ſuumque ſimul fecit, famam ubique clariorem reddidit. Cæterùm ad Inſignia quod attinet, de Undecim guttis ſanguineis Artificem moneri curavi: & his Undecim millia Virginum Martyrum, ut Coronarum triade Tutelares Reges, ſignificari. De me verò quidni etiam addo? Quamvis nec ætas jam mea, nec valetudo par Conviviis; ſedi tamen, & hilaritatis obivi munia; alius quodammodo à me ipſo, non alius tamen, quia Veſter, & toto quaſi genio Agrippinas. Sedi, inquam, lætus inter lætos, & ſingulari ſcypho ſalutem & incolumitatem Urbis veſtræ, ab ipſo Academiæ Rectore exorſus, circumtuli: quæ Convivii ſumma fuit:

ſumma verò hujus epiſtolæ, ut me Nobiliſſimi, Prudentiſſimi, Magnificentiſſimi DOMINI, penitùs vobis devoveam, cultu obſequióque tanquam verus Civis, quo potiſſimùm titulo gloriabor. Lovanii, in Arce, v. Kal. Novemb. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXVII.

Monaſterium.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

ALias in te dotes obſervant & admirantur alii; ego virtutes & harum ſatellites Litteras Elegantiaſque. Quemadmodum Optimus, ita (præfiſcinè dixerim) Doctiſſimus Cultiſſimuſque es, & veteres nobis Athenas, vetuſque Latium divino quodam Genio repræſentas. Talem animum ſanè, imò tale ingenium poſcebat Pacis tractatio, unicum tandem tot malorum remedium ac medela. Illa ſuavitas oris tui, & ipſa morum, ut ſic dicam, Suada quid non poterunt? Ita

me Deus

me Deus, non dicis tantùm, quæ pulchra ſunt & amorem faciunt; ſed ipsâ vitâ, tanquam verâ facundiâ oſtendis: tantò ſemper prudentior, quantò à fuco ac fallacia, More Majorum abes: quæ divina quædam natura eſt, & in paucos omnino homines cadit. Jam verò auctoritas, Virtutibus Tuis à magno Rege data, publicam bonorum omnium ſpem attulit, & meam privatam. Nam ut omnia miſera, ita triſtiores bello Litteræ ſunt, quas cùm publicis calamitatibus oppono, in majores ipſe difficultates prolabor. Sed à Rege, imò à tua benevolentia ſolatium erit, ſi, quod tuus ille RAMIRESIUS, in rem meam tractare negotium cœpit, duxeris commendandum eſſe. Id cujuſmodi ſit, TYLBERTUTIUS meus exponet. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, IV. Kal Decembris CIↃ. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXVIII.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO,

Marchioni de Tordelaguna, Belgicæ Gubernatori.

GRatiam & meo, & Litterarum ſcribo nomine, quas curæ Excellentiæ Tuæ eſſe, opportunum nunc mihi datum munus oſtendit: tantò majus, quantò pertinaciores hactenus neceſſitates publicæ fuêre; quæ profectò & meæ ſunt, meque in communi cauſſa vehementiùs etiam affligunt. Meliorem nunc igitur ex aurea Excellentiæ Tuæ epiſtola ſpem concipio & publicam & privatam. Quemadmodum Muſas & ingenium colo; ita pecuniæ ſtudio non capior: conatus tamen aliquando Ærarium Regium partim conſiliis, partim ſcriptis juvare. An & pecuniis? Has THALETIS MILESII exemplo, cùm ipſe non poſſiderem, invenire tamen, & cernere potui ut publicæ fierent;quia revera Regi debebantur. Cujuſmodi verò conſilia illa mea & ſcripta

ſcripta fuerint, aveo certè, ſi hac familiaritate uti licebit, etiam Excellentiæ Tuæ aperire. Tanquam liceat, parabo calamum, oblaturus, quæ ſaltem examine digna ſunt, & ſine damno expendantur. De rebus verò meis quidni adhuc dicam? Inter filios, unum habeo qui à pluſculis annis in Militia eſt Regia, ANDREAM, quia ſtrenuus ſemper fuit, Magnis notum, Turmæ Italicæ ſub SALVATORE RUFINO, Propræfectum. Quia omnes eum Præfecti munere dignum judicant; rogo & obteſtor, ut in occaſione Excellentiæ Tuæ commendatus ſit. Quod erit profectò, etjam per Militiam Litteris favere. Auguſtus olim, cùm liberos commendaret populo, adjicere ſolitus erat, ſi merentur: hâc ego audebo uti fiduciâ, ut favorem impetrem. Optima enim ad honores via eſt, mereri. Vale, vive, vince. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Decemb. ꝏ. I Ↄ C. XLIII.

EPISTOLA LXXIX.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. Iacobi, Legato Regio.

GEmina epiſtola, gemina gemma: ſed tuis ſcribis verbis, beneficiis Regiis, iſtis recreor, hiſce beor: prorſus tanquam anno jam ætatis LXX, novam vitam novo ſtudiorum auſpicio ingrediar, & in occaſu, ut ſic dicam, naſcar. Munita jam igitur, & Secura mihi, Conjugi, Liberiſque Arx eſt: quæ Tuum Nomen, velut tutelare Numen ſibi inſcriptum; etiam Poſteris repræſentabit. Sed ego, quemadmodum amœniſſimum Minervę Templum inſtaurare potui: ita nunc audebo exornare; ſuggeſturus mox conſilia, quibus in ſumptus ſubſidia inveniantur. Jam verò alteræ, quæ ad mutationem tituli ſalariique Litteræ faciunt, Excellentiſſimo FRANCISCO DE MELLO, datæ & commendatæ:

datæ: quo Viro & vero Heroe, neſcio an rerum omnium capaciorem, vel Arma Ducem, vel Litteræ Patronum invenerint. Stamus Belgæ hoc fulcro, & ubi periclitari potuimus, etiam deſiimus timere. Sed cùm ipſe doctus ſit, quomodo doctos non amet? Me certè peculiari affectu complexus eſt, etiam epiſtolarum familiaritate. Digna prœmiis Regiis ſtudia mea eſſe, munificentiâ ſuâ hactenus oſtendit; ſeriis nihilominus efficacibusque à me verbis formulisque interpellatus, ut quàm me amet, ipſasque Litteras, benignâ Relatione oſtendat. Bene igitur ſpero, votique ſummam in bonitate Tua repono. Etenim ſicuti Arcis petitio felicem eventum ſortita eſt: ita hæc jam Tituli adaugendi ſortietur; quicquid à Fortuna eſt nobis aut nebulæ, abundè deterſura. Hæc etiam magnitudo Regis noſtri PHILIPPI erit;

——— *Triſtes hac tempeſtate Camœnas reſpexiſſe.*

Vale. Lovanii, in Arce, magnâ jam parte tuâ. XV. Kal. Januarias. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA LXXX.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO

Marchioni de Tordelaguna,
Belgicæ Gubernatori.

ET Litteras & Arma gemino in te cultu veneror: nec jam aliâ Pallade opùs. Me certè Litterarum cauſsâ amari video; & filium Armorum: ita ut ſperem, meam quidem petitionem, quæ ingenii doctrinæque prœmia continet; & illius, quæ militiæ, feliciter ſucceſſuram. Niti audemus meritis: ego ſenex, qui ætatem Regi, & Reipublicæ impendi: ille juvenis, ſed qui aliquid Senii exprimit, ab obſidione Urbis Lovanienſis in militiam adſcriptus, & ſtrenuus. In meo verò negotio ad Præſidem ſcripſi, ad Cancellarium & Theſaurarium: qui ut magna Conſilia dirigunt, prudenter, ut me quoque norunt benignè ſtatuent. Sed Excellentiæ Tuæ ſuffragium Decumanum mihi erit, & omne favor momentum

mentum faciet. Magnum eſt, Regem ipſum pronum eſſe: ad cujus certè gloriam facit, Litteras non jacêre. Quæ de ſubſidiis Ærarii ſuggerendis, nuper inſinuâram, propediem,& velut in ſtrenam, miſſurus ſum:nunc felix fortunatumque quod novi inſtat Anni auſpicium, toto animo precor; magnumque concipio votum, ut Arma & Conſilia Tua proſperrimè ſuccedant. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Januarias. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA LXXXI.

Mechliniam.

ANDREÆ CANTELMO,

Summo Militiæ Belgicæ & Tormentorum Præfecto, poſteà Catalauniæ Proregi.

CONSILIUM itineris Hiſpanici, quod Excellentia Tua cepit, varias in partes animum meum dividit. Non poſſum tamen, quod triſtiſſimum mihi eſt, non collaudare; ut publicam utilitatem privatæ voluptati ante-

ponam. Spes reditus interim me conſolatur. Quia & tua hîc nobis virtus, in quam neſcio fortunam nutantibus neceſſaria eſt. Quis dies ſine Sole? Quæ vita ſine luce? Parco dicere. Sed feram meam, in publica ſorte; vel publicam in mea; & ſi quid nominis poſt vitam erit, gloriæ tuæ conſecrabo. Licebit ſaltem Elogium, donec uberior naſcatur Hiſtoria, conſcribere. Stemma feliciter abſolvi, à primo Rege Scotiæ FERGUSIO, qui anno CCCXXX. ante Chriſtum natum, Sceptrum adeptus eſt, ad Excellentiam Tuam continuâ ſanguinis ſerie deductum: quo ſpatio temporis bis mille quaſi anni continentur. Expectabo Excellentiam Tuam, ut labores iſtos meos, ſed mihi ſuaviſſimos, videat & examinet: & ut in hac Arce, in hac familia, priuſquam ſe committat itineri, reſpiret. Animus erat Mechliniam excurrere, ſed valetudine prohibeor. Hæc conditio ætatis eſt in occaſum vergentis, imò hæc neceſſitas. Suppleat vices meas MAXIMILIANUS meus, qui ſuam ſimul fortunam Excellentiæ Tuæ commendabit. CL: TULDENUS noſter, vir ſanè præſtantiſſimus, unâ proficiſcitur: idem ego animo facio, Magne Heros, clientelâ & vero cultu CANTELMIANUS. Lovanii, in Arce, Poſtrid. Eid. Feb. ∞.IↃC.XLIV.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXXII.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO,

Marchioni de Tordelaguna,
Belgicæ Gubernatori.

INGENS virtutis ſtimulus, affectus & favor Imperantis. Me certè juvat in Litteris eſſe, & filium meum in Armis, quia conatus noſtros laudari videmus; hic affectus eſt: & æſtimari; hic favor. Dubium etiam, plúſne pater filii cauſsâ, an filius patris gaudeat: cùm & Litteras ego ad Arma conferam, & Arma ille ad Litteras. Sic doctior ego, ille fortior: uterque ut Tibi placeamus, affectu & favore digni ſimus. Quæ de Ærario miſi, in examen ducenda ſunt, Si non omnia, aliqua fortè juvent Rempublicam, quia utilia; & emendent ſimul, quia honeſta. Magni hîc facio Tuldeni ingenium, dignum meherclè quòd è Gymnaſio ad Regium aliquod Tribunal transferatur. Ubi alii ſtellæ ſunt, hunc Solem dixero, ſuâ & virtute, & doctrinâ & prudentiâ lucere.
Hoc

Hoc autem ad laudem ejus jam ſatis', qui non ambit magna, ſed meretur. Elogia ſit interrupta aliquantulùm rurſus promovenda; ut ad FONTES deinde POLITICOS veniam: quod opus Ariſtotelem totum Aphoriſmis continuis, & novâ ſcribendi ratione repræſentabit, facilemque faciet. Tres jam Libri abſoluti: quinque reliqui; niſi quæ in ipſo Auctore deſiderantur, novo etiam libro ſuppleam. Juventuti noſtræ virtutum ac vitiorum BIVIUM lineis quoque Ariſtotelicis explico, quę nunc quotidianæ Diſſertationes meæ ſunt, mox ad typos proferendæ, ut omnem ætatem doceant. Varia præterea partim affecta, partim parata, ſed meliorem fortunam expectant. Sed non hîc mea tantùm, ſed & Litterarum cauſſa agitur: nec minus ad famam Regis facit ſub tanta potentia Litteras non jacêre. Vale, vive, vince, Magne Heros, & Belgas perge regere, ut læti ac ſecuri ſint, & felicioribus fatis ad Pacem evehantur. Lovanii, in Arce, XV. Kal. Mart. ∞.IↃC.XLIV.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXXIII.

Oſnaburgum.

JOANNI CRANE

Legato Cæſareo.

NImis benignè de ingenio meo, quod mediocre eſt, nimis magnificè de ſtudiis, quæ pari cum multis conatu tracto, & ſentis & ſtatuis. Magnus ero, ſi te coluero, tam humaniter ad candidæ Amicitiæ Sacræ invitatus: & felix, ſi in tuis licebit laudibus, inter Germaniæ ſidera lucentis, ingenium & ſtudia occupare. Geſtio equidem, ac mei velut oblitus, aliquis jam eſſe videor, quia tuus. Nomen mihi tuum, lumen dabit, quo ſplendeam; virtus famam, quâ innoteſcam; Dignitas fiduciam, quâ aſſurgam. O magnum & tergeminum beneficium, ab amore & humanitate naſcèns! ſed Genius ille tuus, non niſi amorem & aliquid divini ſpirat: epiſtola Attico lepore, & Laconico acumine aurea, non niſi humanitatem: liberè dicam, me totum Nomini tuo, virtuti, dignitati, obnoxium & manci-

mancipatum reddit. Suave ſic etiam erit, impendere ingenium, à tuo affectu vires capiet: tractare ſtudia, tuo favore ad familiaritatem venient ac videbuntur, quæ privatim ſcribo à Republica non eſſe aliena. Ut ſpecimen habeas, hoc nunc Elogium CAROLI V. Imperatoris mitto: quo etiam exemplo ſex primi abſoluti, typiſque publici, Reliquos ubi in THEATRUM quod paro, HEROICUM, produxero, tuâ audebo manu Auguſtiſſimo FERDINANDO offerre. Hæc jam familiaritas eſt: quam & tuo candori, verè Germanico, & affectu optimi Nobiliſſimique BLITTERSWYCKII mei, nimium quodammodo me amantis, imputabis. Vale, & cujus ingenium amas, ſtudia æſtimas, cultum admitte. Lovanii, in Arce, XI, Kal. Martias. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXIV.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO,

Marchioni de Tordelaguna,
Belgicæ Gubernatori.

INcredibili Benignitati Tuæ neſcio quomodo parem me conſtituam, ſed alibi vincere pulchrum eſt; hîc vinci & obnoxium eſſe. Computetur igitur in gratiam virtutum tuarum, quicquid ſum, aut quicquid ero; placuiſſe, ad fortunam faciet. Nunc etiam quia Conſultatio in Hiſpaniam tranſmiſſa de rebus meis ſtudiiſque Rex magnus ſtatuet; ut & ingenii amor ad honeſta & altiora munia admittatur. Etiam Litteris in Republica locus eſt, quibus ſuo videantur otio circumſcribi; harumque adminiculo, cùm nuper gravem conjurationem detegerem, bene de Regibus omnibus piis boniſque meritus, magno Europam periculo liberavi. Quantum malum, tentatum nuper à Palatino Bohemiæ Regnum! Liceat dicere; abſque me & induſtria

mea

mea eſſet, jam fortaſſis Ducem Aurelionenſem Sarmatia haberet Regem. Hoc nimirum malis noſtris deërat, ſed ſi ſcenam hanc totam ſcire libet, ſcripto aperiam. Nunc ad vota venio, ac quia lætiſſima Paſchatis feſta inſtant, ea fauſta, felicia, augurata precor: proſperumque nunc etiam rerum ſucceſſum, quem Sapientia tua, Pietas, Fortitudo, Numine favente dabunt. Vale, vive, vince, Magne Heros, & ſic me ama, ut mereri Benignitatem videar, ſereniori quoque non aurâ tantùm, ſed pariter animo ingenioque ad novum ſtudiorum fructum uſurus. Lovanii, in Arce, Prid. Paſchatis. ∞. I Ɔ C. X L I V.

EPISTOLA LXXXV.

Monaſterium.

ANTONIO DE BRUN,

Baroni d'Apremont, Legato Plenipotentiario Pacis, poſteà Ærarii Regii Sanctioris Præfecto.

OLim te novi, Illuſtriſſime vir, amari, admiratus ſum, Doctum inter Doctos; nunc

nunc ſuſpicio, obſervo, veneror, Magnum inter magnos. Hunc honoris gradum virtute & facundiâ adeptus es, & in me pergis benevolentiæ tuæ delicias derivare; idem animo, alius dignitate. Quod maximum orbis Chriſtiani hac tempeſtate negotium eſt, tuis quoque humeris à Rege Maximo impoſitum: tuæ prudentiæ, tuæque Suadæ Pacis momenta ac fata commiſſa. Bene eſt; firmiùs jam ſperare incipimus: & ipſæ (quæ me tangunt) Litteræ elegantiæque ad felicitatem adſpirant, duro quodam Armorum jugo hactenus oppreſſæ. Quis inter gladios calamis locus? Quæ prœmia, ubi ſanguine, non ſepiâ ſcribitur? Ubi & humanitas cruenta eſt? Circumſpicio plus Martis ubique, quàm Palladis ipſa Athenæa habent: quaſi dicam, & ſtudia inter arma efferari. Sed & alię artes pace indigent, merces, negotia, quibus genus humanum vivit: indigent populi, indigent Reges Reipublicę cauſſâ, quæ bello paſſim graſſante cadit; ſive Religionis, quæ labefactatur. Mala extrema ſunt, & ubi non? Remedia neceſſaria & ab una Pace expectanda. Hanc lucem rerum omnium, hanc medelam, hanc ſalutem appello; & promittere ſęculo audeo, quia à tam Magnis, & te Magno tractatur. Det Deus, ut feliciter, & ut Mercurii à Jove miſſi Nomen ac Numen vos maneant;

ant; in terra longævi, in cœlo æterni ſitis, & inde velut benefica ſidera luceatis. Sic te, ut olim novi, amavi, admiratus ſum, ſuſpicere, obſervare, venerari pergam, à te Glauci herbam & immortalitatem (reddo tibi verba tua) accepturus. Vale, & me amare perge. Lovanii, in Arce Regia, III. Nonas Majas, ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA LXXXVII.

Madritum.

ANDREÆ CANTELMO,

Militiæ Belgicæ Summo & Generali Præfecto, poſteà Catalauniæ Proregi.

VIx concoquere dolorem meum potui, quem ex diſceſſu Excellentiæ tuæ cepi; aliquid ſolatii à felici itinere, & ab affectu Regio, in virtutes tuas honoratiſſimè effuſo. Nunc igitur talem eſſe animum Magni PHILIPPI, talem Genium, qualem omnes laudant Excellentiæ Tuæ, deprehenderit. Animum mitem ac verè Auſtriacum; Genium maximè

maximè fortunæ ſuæ capacem. Res utcumque, & neſcio quo fato, inclinatæ ſunt, ſed erigendæ, quia CANTELMI mentem, CANTELMI manum Hiſpania æſtimabit. Noſtra interim omnium vota ſunt, ut quem amiſimus Summum belli Ducem, Rex nobis reddat; & in ea vincat hoſtes Provincia, quæ momentum eſt omnium, & totum quaſi orbem terrarum quatit. Quieſcunt Batavi ſive inducti, ſive coacti, & belli fiduciam alii populi deponent. Hæc publica vota ſunt: tutiùs verò privata attingam. Nam revera ſpes mea omnis ſtudiorum in arcto ſit, niſi E. T. juvet. Quid à Rege petierim, indicâſſe hîc videor, ut annuum augmentum præmii novo titulo, & ille à Secretis Conſiliis ſtatueretur. Nunc, ut audio, mille floreni in ſubſidium ſumptuum aſſignati. Quid rei ſit, pleniùs à Magno Amico meo D. LAURENTIO RAMIREZ, qui emendare conditionem meam conatus eſt, intelliget. Pauxillum vitæ mihi reliquum eſt: id nunc, omnia ut dicam, & pro familiaritate aliquâ dicam, benigniſſimo tuo in me affectu commendo. Ego tuus ſum; familia mea, tua, ſtudia, tua: ut & me, & familiam, & ſtudia E. T. oſtendat ſua eſſe, rogo. Dixi omnia. Vale, vive Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine & Magne Patrone.

 Lovanii,

Lovanii, in Arce, jam amœniſſima. v. Kal. Jun. ∞. I Ɔ C. XLIV.

EPISTOLA LXXXVIII.

Antverpiam.

JOANNI COMITI POTOK DE POTOTSKI,

Palatinidi Bradavienſi.

NUllam amori injuriam mora Litterarum intulit: quam in tuis tu excuſas, in meis ego commiſi; vicinior etiam culpæ, quia prior, & humanitate provocatus. Reſpondeo igitur, idemque argumentum ſumo, ne peccâſſe videar. Alia etiam cauſſa prolati officii, ſcribendi occaſio; quæ dum quotidie ſe offert, tanquam reditura, negligi ſolet. Sed nôſti quoque, quàm in meo ſæpe otio negotia inveniam, partim mea partim aliena; prorſus tanquam aliis magis, quàm mihi vivam; quieſcam, & ſemper occuper. Meus ſum, quoties in libris; ut naturam rerum examinem, terram ac cœlum contempler: felix ſum, quoties effun-

es effundere animum apud Amicos licet, ac ſapientiæ potiſſimùm ſtudia profiteri. Amici quidem, in quos tam magnum cadit nomen, pauci ſunt; ac patieris ut in exiguo numero tuum vel maximè venerer, qui Nobiliſſimum, omniſque & virtutis & gloriæ capacem animum, tam familiariter Dictis meis atque Directioni ſubmiſiſti. Ad libros verò quod attinet, eos quoque ad paucos redigere ſtatui, monitus nuper incendio, cujus vel memoriâ terremur. Damnum exiguum, magnum ſanè documentum fuit; ut imminuam, non corporis tantùm, ſed & ingenii ſupellectilem, quæ ad pompam magis, quàm ad uſum exuberat. Multa ſcire, pauca poſſidere, Sapientis eſt; & ſic vel minimè Fortunæ ludibriis obnoxium eſſe. Cùm aliud non eſſet, quod ſcriberem, hoc ſcribo: & te rogo, ut quemadmodum cùm ingenium apud me excoleres, meus eſſe voluiſti; ita cùm Reipublicæ impendes, me tuum eſſe velis, Nomini tuo, Indoli, Nobilitati ſemel deditum, ſemper devotum. Lovanii, in Arce, III. Eid. Julias, ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA LXXXVIII.

Bruxellam.

COSULIBUS SENATUI POPULOQ; BRUXELLENSI.

UT publicus rerum hoc tempore ſtatus eſt, Urbs veſtra, aliarum velut compendium, & exemplum. Viris maximè in novo Regimine indigebat. Sed reſpexit bonorum vota Deus, & vos felici è reliquis ſorte electos præeſſe voluit, quorum virtute, Prudentiâ, Integritate erigerentur Civium animi, tantùm non dejecti: metum ſpes, motum quies, vulnera medela tolleret; triſtemque Reipublicæ faciem ad ſerenitatem Anni vices revocarent. Cœli faventis imaginem curia ſumit, & læta ac proſpera omnia pollicetur. Video conſulem, toto quodammodo æthereę naturæ vultu conſpicuum, virtutibus ſuis, velut ſideribus innumeris lucentem. Cedent nubes: vis ab alto potentior, quæ non niſi pura & illibata venit. Septemviri, ſeptem, ut ſic dicam, Illuſtres Deorum Stellis orbes ſunt, ſolito lumine,

mine, peculiari ſitu, ac ſtatione. Ne quem hoc in ordine Saturnum timeamus, reliqua nunc Aſtra faciunt: ſi quid frigus peccet, vicino ac benigno calore corrigetur. Bene igitur ſeſe habebit Reſpublica, quia à vobis regetur: ſalutem illa ſuam & ſecuritatem capiet, famam gloriamque abundè reddet: qui boni juſtique Regiminis & flos & fructus eſt. Vivite igitur, feliciterque annum hunc implete. Ut unus erit, plures faciet, publica virtutum exempla ad Succeſſores extenſurus. Hoc meum nunc votum eſt, quod ut exprimerem, bonus affectus coëgit. Alloquor omnes, veneror ſingulos, & Rempublicam vobis, imò vos Reipublicæ gratulor; daturus operam, ut ſi quid ingenio, ſtilo, ſtudiis poſſum, & vobis ut cliens, & Reipublicæ veſtræ, ut civis impendam. Valete, Nobiliſſimi Prudentiſſimi Ampliſſimi Domini, & Nobiliſſimas pulcherrimasque Urbis merces, quæ & veſtræ ſunt, Litteras fovete. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Septemb. ∞. IↃ.C. XLIV.

EPISTOLA LXXXIX.

Bruxellam.

EMANUELI DE MOURA ET CORTE REAL,

Marchioni de Caſtelrodrigo, Provinciarum Belgicarum Gubernatori.

VAletudine detentus, calamo ſupplére audebo officium, quod Excellentiæ tuæ, ad Gubernationem Provinciarum Belgicarum evectæ, præſenti & voce & cultu debebam. Vota ſunt, quæ ſcribo; ut Pietas tua ac Prudentia (quid niſi geminæ Felicitatis alæ?) ad meliorem omnia ſtatum, Deo propitio, evehant, & ſi quid peccavit hactenus Fortuna, emendent. Pietas Divína habet conſilia; Prudentia verò humana: non poſſunt autem ſinè Divinis humana conſiſtere: quemadmodum in omni opere, primæ ac præcipuæ partes, mentis ſunt; ſecundæ, manûs. Summum Numen, ſummam mentem appello: ſed Principes ſummæ mentis velut manus ſunt, populosque

losque majori poteſtate regunt. Hanc in te jam agnoſcunt Belgæ, ad obſequium faciles; quia quale optabant imperium, inveniunt, benignum, mite, juſtum, omnesque virtutes repræſentans. Sed ego, cùm Belga ſim, aliorum vocem meâ refero; cum munere & titulo publicus, magis etiam Magno Regi meo obſtrictus. Litteras tracto, ingenium colo, ſtilum Reipublicæ impendo: quæ omnia, quia ad uſum quoque ſuum, & aliquam ſimul familiaritatem admittere dignati ſunt, qui Provinciis hiſce hactenus præfuêre, Excellentiæ tuæ Do, Dico, Addico. Lovanii, & in Arce vivo, in Academia doceo, ubique philoſophor. Ætas provecta eſt, & ſuis obnoxia malis; animus integer, & in homines nunc etiam malos audet inſurgere, quemadmodum formare bonos hactenus conatus ſum. Refrænentur mali, & in ipſa Republica ceſſabunt mala: foveantur boni, & felicitas accedet. Hæc ſic nunc breviter, ut plura dicat, qui litteras has meas tradet, vir Nobilitate, Doctrinâ, Prudentiâ inſignis, Dignitate Conſiliarius, quam in Curia Geldriæ Suprema nuper adeptus eſt, majori dignus. GUILIELMUS BLITTERWYCKIUS eſt, præſtantis Patris, præſtans Filius, & quaſi virtutem à natura trahat. Sic nunc vale, vive, & feliciter Bel-

ter Belgas rege; peculiariter affectum meum, cultum, obſequium admitte, uberiore deinceps eloquio explicandum. Lovanii, in Arco Regia, VI. Eid Octob. CIↃ. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XC.

Bruxellam.

OCTAVIO PICOLOMINIO,

Duci Amalfio, Militiæ Belgicæ Archiſtratego Regio.

NECDUM familiaris, interpellare E.T. audeo; offerre & ſtudia, quæ tracto; & obſequia quæ debeo, ut benevolentiam merear. Sed & ego Militiæ pars ſum, quam non poſſum niſi gloriam tuam appellare: quia ſcribere militaria ſoleo, & quia filium in Militia habeo, Patris ingenium armis referentem. Hunc ut commendem, in familiaritatem me inſinuo, & ſimplici ac repentinâ ſcriptione ingentem tacitumque hactenus cultum expono. Pater filii cauſâ, quid non faciat, præſertim ſuâ ſe virtute erigentis? ANDREAS meus,

meus, Propræfectus Turmæ Italicæ, ipſam jam Præfecturam, morte SALVATORIS RUFINI vacantem petit; ſed me intercedente, quamvis in ſubſidium petitionis merita ſua conferat. Quidni igitur intercedam ac juvem? Filius eſt; neque hoc ſatis, Præfecturâ iſtâ dignus: quam nuper quidem Excell: Marchio de TORDELAGUNA ei addixerat, ſed ſi vacaret. Diſtulit occaſionem Deus, ut E. T. hoc beneficium deberemus, magnum ſanè, & ſemper nobis æſtimandum. Hâc fiduciâ claudam, & jam deinceps familiaris eſſe incipiam; famam gloriamque tuam in ſtudiis meis veneraturus, quemadmodum filius in Armis. Ita me & illum commendo, ita dedico conſecroque. Vale, vive, vince. Lovanii, in Arce, Poſtridie Nonas Novemb. ∞.IↃC.XLIV.

EPISTOLA XCI.

Neapolim.

PET. JOANNI CANTELMO,

E Ducibus Populi.

ANIMUS erat, Magni & Incomparabilis Herois ANDREAE CANTELMI, ævi no-

ævi noſtri Epaminondæ Laudes Elogio complecti; & ab ipſa familia ac ſtirpe ſcriptionem orſus ſum. Quia Regio ſanguine origo inveſtiganda erat; quia virtute militari, percurrenda tot ſæcula, quot à FERGUSIO primo Scotiæ Rege huc uſque effluxêre. Ingens ſpatium, argumentum uberrimum; cùm tot Hiſtoriæ naſcantur, quot extensâ ſerie Generationes ſunt. Lineas igitur ſolummodo traxi, ut lumina poſtea accederent. Viros recenſui, ſed ſine præconiis Nomina reluxêre. Ut ſpecimen tamen hoc fuit, inclyto fratri, ANDREAE, Mæcenati meo, placuit; cui totus ipſe ingenio, ſtudio, officio conatus ſemper fui placere. Nunc profectò video in ſtirpe eſſe, quod in uno potiſſimùm ſtirpis viro veneror, Patrocinium Litterarum. DUX POPULI frater tuus, PRINCEPS PETORANI ejus filius, luculentiſſimo me munere complexi ſunt; quod tuæ quoque benevolentiæ acceptum refero. Plures ſic nunc quidem Mæcenates nactus ſum, ut ſæpius felix eſſem: & qui unicus in toto ſtemmate ANDREAS eſt, Nomen ſuum plenum virtutis, in omnibus oſtendit, omnes in ſe. Sed ad litteras tuas venio, ſic ſcripras, ut muneris quoque loco habeam. Geminæ ſunt; eodem tamen argumento humanitatis & amoris. Ad priores diſtuli reſpondere,

pondere, quia ipſum BASCAPEUM expectabam, de libris ſchedisque illis Gallicis cum eodem acturus. Egi verò, & ſubſidia, quibus uſus ſum, conſignavi. PLATINAE calculum rectè induſtria tua obſervârat, noſtrum quid niſi dirigens: quem proinde conabimur ſtabilire. Si quid præterea difficultatis occurret, monear obſecro, & juvari me putabo. Debent enim omnia extra nubem eſſe, & ſuâ luce ſplendere. Explicanda & ornanda libro, quæ in tabula dumtaxat repræſentata. Quo deſiderio, quicquid manu aut mente poſſum, ex obligatione offero; & humanitatem tuam peculiari affectu veneror. Vale, & de me, tanquam de vero cliente, ſtatue. Lovanii, in Arce, III. Eid. Novemb. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA XCII.

Neapolim.

JOSEPHO CANTELMO,

Duci Populi.

HEroicas ANDREAE CANTELMI virtutes poſtquam colere cœpi, totam ſimul

mul Familiam antiquitate Regiam; gloriâ æternam veneratus ſum; in qua omnium hactenus ſæculorum decora floruerunt. Quodam quaſi cœleſti jubare perſtrictus, erexi ingenium, ut cùm uberiorem meditarer hiſtoriam, quibuſdam ſaltem velut lineis, Stemmatis ſeriem, ab origine repræſentarem. Non infeliciter ſucceſſiſſe conatum, hinc jam colligo: Excellentiæ Tuæ placuit, quemadmodum benigniſſimæ ſcriptæ ad me Litteræ atteſtantur: magnum profectò operæ meæ pretium, quam & cùm luculento æſtimari inſuper munere videam, totus in obligationem rapior. Ingenium enim meum & benevolentiâ & liberalitate ſuperatur. Debere, glorioſum mihi eſt: oſtendam autem ita vivam, quàm libenter debeam; Genealogiam, ſi liceat, in Hiſtoriam extenſurus, Nomina in Elogia, lineas in laudes. Ingens materia eſt: ſed quia brevitas hactenus veritate ſuſtinetur, tuta ubertas erit, & ornamenta famæ fidem invenient. Sic tanquam nihil ſcripſerim, quid poſſim, novo conatu experiar; & quantùm debeam oſtendam. Ita vale, & in me clientelam Regiæ Familiæ tuæ admitte. Lovanii, in Arce, III. Eid. Novemb. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA

EPISTOLA XCIII.

Bruxellam.

OCTAVIO PICOLOMINIO,

Duci Amalfio, Militiæ Belgicæ Archiſtratego Regio.

PLurimùm ponderis cauſſas rationesq; petitionis meæ habuiſſe, vehementer gaudeo, & tanquam ex parte, jam voti compos. Dignum cenſeri filium meum Præfecturâ turmæ, non exile virtutis præmium eſt, novamque honoris fiduciam ſuppeditat. Sed & meo aliquid nomini deſiderioque hac occaſione tribui, ad felicitatem ſtudiorum, in quibus verſor, facit; ſuo donanda honore, cùm gloriæ tuæ impendentur, quemadmodum nunc ea rurſus mancipo, Belga natione, adoptione, ut ſic dicam, Italus: quo etiam titulo filium audeo commendare. Filium, inquam, ſed unum è ſeptem, qui ſuperſtites ſunt, & partim in Litteris, partim in Armis aluntur, aliqui domi, aliqui foris. Nimirum copioſa familia eſt Ux-

eſt, Uxor Itala, & ex Turrianis; qui magni aliquando, & militares fuêre, ſed fortunâ ſuâ delapſi. Virtutem retinere liceat, nihil amiſſum eſt: & aliquis ſibi filius meus videbitur, ſi proximâ occaſione, tuo favore beneficioque exſurget, me ipſum ſubvecturus. Sic vale magne Heros, & Palladis meæ candorem ama. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Decemb. ∞. I Ↄ C. XLIV.

EPISTOLA XCIV.

Bruxellam.

EMANUELI DE MOURA ET CORTE REAL,

Marchioni de Caſtelrodrigo, Belgicæ Gubernatori.

NOVA temporis facies, novuſque, redeunte in ſe anno, rerum ordo ad ſolennia chariſteria invitant. Mihi fas ſit publicum ritum in privatum cultum; munera autem quæ miſſilari ſolent, in vota commutare. Debebam aliquam ingenii ſtrenam: aliquod ſtudiorum meorum

meorum xenium, ſed nihil in promptu erat, quod Heroicis oculis tuis, aut manibus dignum judicarem. Ad bona igitur & olim uſurpata verba me confero; ut ANNARE ET PERENNARE feliciter Excellentia Tua queat, proſperumque rerum ſtatum & ſecurum habeat, qui divinis ſimul & humanis conſiliis gubernatur. Ut eximia pietas tua eſt, divina aderunt; ut cæteræ virtutes uſu & auctoritate validæ, aderunt & humana. In auxilium Deus veniet, in obſequium homines: & quam non ſpem deinceps, quam non fiduciam capiamus? Lætiora ab hoc anno tempora ſequentur, & à tuo regimine fortuna Provinciarum ridebit. Ita vale, vive, vince, & ſcribentis cultum benigno animo admitte. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Januar. CIↃ. IↃ C. XLIV.

EPISTOLA XCV.

Madritum.

FRANCISCO

MARCHIONI DE CARRETTO ET GRANA,

Legato Cæſareo.

LUcere terram poſſe, dies oſtendit; ſed hoc Solis beneficium eſt. Agnoſo imaginem, & vinco naturam: Excellentiæ enim tuæ lumine circumfuſus, caliginem depono. Sanè epiſtola tam benignè iterumque ſcripta, Solis mihi ſplendentis, irradians aura fuit, aliquam quaſi ingenii fiduciam adſpirans. Hanc igitur quidni auſim in obſequium reflectere, cùm pro beneficio imperium accipiam? Ante omnia tanto Patri talem Filium publicè gratulor: bis jam Patri, quia de optima Filii inſtitutione quàm maximè ſolicito, omnemque ad virtutes felicitatem exigenti. quantùm verò momenti in ipſo Magiſtro ſit, magnò exemplo PHILIPPUS Rex Macedonum oſtendit,

ſtendit, gaudere ſe profeſſus, non proinde quia ALEXANDER natus eſſet, quàm quòd ARISTOTELIS tempore. Hoc erat amare filium, æſtimare Doctorem: & magnus eſſe ALEXANDER potuit, quia à tam magnò eruditus eſt. Ut ſæculum verò noſtrum eſt, faciliùs profectò ſic naſci, quàm ſic inſtitui: & cùm Principes non deſint, deſunt Philoſophi. Mea tamen hîc cura fuit, ut E. T. proponeretur, qui huic muneri aptiſſimus eſſet, Bonus inter Doctos, Doctus inter Bonos: de quo & totâ conditione ad Excellentiam tuam jam ſcriptum eſt. Ut à me quoque aliqua Directio accederet, has LINEAS VITAE HUMANAE, & has ſimul Eruditionis mittere volui: quæ totius Educationis ſummam tutiſſimo Compendio complectuntur. Offero ſimul ſtudia mea, &, ne per hæc bella jaceant, Excellentiæ tuæ commendo. Commendo & filium meum AUBERTUM, unum è ſeptem, qni magno Amico meo, veroque Heroi CANTELMO ab Armis fuit: pro quo Nobiliſſimus Optimuſque vir FRANCISCUS TASSUS loquetur. Vale & vive Excellentiſſime Domine, & me quem illuſtrare voluiſti, ama. Lovanii, in Arce Regia XII. Kal. Majas ∞. IↃC. XLV

EPISTOLA XCVI.

Cracoviam.

STANISLAO à KONIECPOLE KONIECPOLSKI,

Caſtellano Cracovienſi, Exercituum Regni Poloniæ Supremo Præfecto.

IN ruborem me dedêre Excellentiæ tuæ admirabili ſcriptæ benevolentiâ litteræ: & quid niſi laudes? Cum amari me ſentiam, æſtimari ſuave eſt: non tamen ſinè acrimonia aliqua, quia infra encomia, quæ lego, merita mea jacent. Bonum, fateor, conatum ad Litterarum ſtudia hactenus attuli; magisque ut Magnorum formarem ingenia, quàm ut meum extollerem, vixi; ſi quid inde lucis, exiguum, aut creperum eſt: fructus publicus eſt, & ad favorem facit. Hic certè, qui ab Excellentia tua venit, luculentus eſt, & quemadmodum ſplendore me ſuo recreat, ita tamen perſtringit. Jam igitur intelligo, quàm difficulter

difficulter in Solis jubar oculi erigantur. Virtutes tuæ omnes velut ignes ſunt, pugnæ, velut flammæ; victoriæ, his ignibus, his flammis coruſcant, & æternæ ſunt. Quantus ille terror nuper à Scythis & pluſquam Barbaris, immenſo agmine irruentibus! Quantæ minæ! Cùm & exteri trepidarent, ille unâ omnia ſtrage hoſtis oppreſſurus, tuâ incredibili fortitudine, prudentiâ, celeritate, ſed exiguâ manu, oppugnatus, victus, penituſque conciſus eſt. Prælium hoc, quid niſi miraculum fuit? Nemo antea ſic vicit: ſed Nomen tuum non niſi fulmen deinceps erit, quod vel ipſe Orientis Tyrannus timebit, omnes ubique Populi ſuſpicient. Quidni dicam? Sed Martem ad Muſas deſcendere, nova etiam gloria eſt, & generoſiſſimæ indolis juvenem STANISLAUM KONIECPOLSKI, vehementer exſtimulat, ſuo quamvis ingenio abundè excitatum. A natura vigorem adfert, & quicquid in ea ætate laudari poſſit. Accedit cura Gubernatoris viri ſeduli, prudentis, & boni. Accedit nunc etiam mea, qui tam præclarum Juvenem optimis imbuere præceptis monitiſque non deſinam, ſic vel maximè de publico bene meriturus. Vale Magne Heros, Hoſtiumque Victor, & qui Regnum tutatus es, tuo perge patrocinio eti-

 am extra

am extra Regnum, Litterarum fovere ſtudia, & complecti. Lovanii, in Arce Regia, x Kal. Jun. ∞. I Ↄ C. XL V.

EPISTOLA XCVII.

Bruxellam.

RICARDO BELYN,

Regni Hiberniæ ad Summum Pontificem Legato.

MAgnæ & Heroicæ animi tui dotes, ſingulari quadam humanitate radiantes, ita me heri corripuêre; ut poſt ſermonem, loqui calamo audeam, & litterarum notis tui cultum profiteri. Hunc debeo, & publicè quidem legationis muneri, quod Hiberniç tuç nomine feliciſſimè ſuſtines; privatim verò benevolentiæ, quâ me familiariſſimè, hominem Muſis deditum, & ſuâ ſe quiete involventem complexus es, aliquid Alexandri, Diogenem viſentis, exprimens. Felicitas illa, à prudentia tua eſt, & maturo rerum uſu quem reliquç virtutes ſequuntur; niſi potiùs dirigunt. Familiaritas à modeſtia, quç veram & antiquam

quam Nobilitatem indicat, & aliquid divini habet. Ad Summum Pontificem INNOCENTIUM X. miſſus, dignitate Summus es, totumque Regnum tuum innocentiſſimè repræſentas. Ad Regnum redis, & reddis Patriç Religionis bona, quç auctoritate Pontificis ac tutelâ ſtabiliantur. Ut vota, ſic & ſubſidia ſunt, & tanquam ab ipſo Deo. Atque ego etiam familiaritate iſtâ me felicem puto; quia novum ipſe Patronum & Amicum nactus ſum, quem Litteræ & elegantiæ Hibernia tota Mæcenatem appellabunt. Quia igitur Amicus es, affectum meum lubens admittes: quia Patronus, cultum obſequiumque. Utriuſque ſponſores atque obſides do (in id quoque à me interpellatos) Reverendos Patres Ordinis S. DOMINICI, vicinos ac familiares meos, P. THOMAM DE BURGO, & P. PATRICIUM KEARNY, Theologos doctiſſimos; ut Patriæ utiles, ita tuo favore, & publico auxilio dignos. Liceat his addere cultiſſimæ doctrinæ, & ad Rempublicam juvandam natum Virum, D. BERNARDUM DAVETUM, qui à ſe & Societate ſuâ plenam pietatis & eruditionis laudem adfert, mei ſic quoque amans. Hi verò interpretes officiorum meorum erunt, ſuo affectu & facundiâ teſtaturi, me, Illuſtriſſime

Domine, Magnis & Heroïcis animi tui dotibus, tuæque Nobilitati, Dignitati, Gloriæ devotum eſſe. Lovanii, in Arce, I V. Kal. Septemb. ∞. I Ↄ C. X L V.

EPISTOLA XCVIII.

Cracoviam.

STANISLAO à KONIECPOLE KONIECPOLSKI,

Caſtellano Cracovienſi, Exercituum Regni Poloniæ Summo Præfecto.

NOn infeliciter cum Litteris agitur, quæ in ipſo Marte ingenii præmium invenerunt. Oſtendis enim Magne Heros, & pugnare te, & vincere ſimul poſſe, & ad virtutes tuas Muſarum ſtudia pertinere. Inſignem ecce Torquem aureum profero, ſplendentem & opere & pretio, Generoſiſſimæ liberalitatis tuæ exemplum, imò monumentum. Quot hîc annuli, tot velut nexus ſunt, quibus obſtringor: ornatus

ornatus, ut obligatum me profitear, & omnes Muſas. Benignè igitur curæ meæ aut labores æſtimantur, STANISLAO meo, (ſic illum ſemper nominabo) hoc biennio impenſi. Qui adeò me quoque amat, ut quod accepi munus, ſibi datum arbitretur. Ita enim nunc diſceſſit, tanquam maneat ſemper; monita mea & conſilia, quæ ad verum decus diriguntur, ſecum circumferat; dignum ſe & nomine ſuo & Genere præſtet: dignus ſic quoque vel maximè à te amari. Ut hunc laudo, ita Gubernatorem ejus commendo, virum bonum, prudentem, munerisque ſui memorem; hoc agentem inprimis, ut amorem mereatur. Vale Magne Heros, & poſt munus majori etiam affectu me dignare. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Octob. ∞. IↃC. XLV.

EPISTOLA XCIX.

Bruxellam.

EMANUELI DE MOURA ET CORTE REAL,

Marchioni de Caſtelrodrigo, Belgicæ Gubernatori.

FRUSTRA jam ſcribere videor, cùm ſuo ſermonem meum ore vir ille perlaturus ſit, qui ut meus eſt, ita Excellentiam Tuam maximè veneratur LUCAS TORRIUS, virtutum munia cultiſſimâ eruditione & exornans & commendans. Cui gratus non ſit, Gratiarum Triade ubique ſtipatus? Inſpexit nunc etiam, pro affectu me ſuo viſens, ſtudiorum meorum atque familiæ ſtatum, ut Excellentiæ Tuæ repræſentaret. Aliquid ſubſidii atque ſolatii, ſi non infelix Petitio filii mei vel potiùs mea, circa PRAETURAM VILVORDIENSEM futura ſit. Aliis alii fortaſſis

fortaſſis nituntur modis; noſter ſimpliciſſimus eſt, & quem Sapientiæ ratio præſcribit, ut mereri hoc munus, non mercari videamur. Quadraginta quinque annos Regi meo impendi, ea tractans ſtudia, quæ ad famam magis, quàm fortunam faciunt: ſic dives tamen, quia non luxu aut pompâ, ſed neceſſitate opes metior: quod eſt philoſophari. Divitiæ meæ liberi ſunt, ſeptem filii, quinque filiæ, in ea omnes ætate, ut robuſtiora nunc à me ſubſidia flagitent: & apti quidem filii, ut publicè occupentur. Merita ſua & ſimul mea adferunt, & ſic audent bonâ fiduciâ præmia expectare. Deſino verò ut nunc AMICISSIMUS TORRIUS meus loquatur pro Doctore ſuo, imò pro Patre; loquetur tanquam filius, quia Diſcipulus fuit. Vale, vive, vince Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine. Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Novembris, ∞. IↃC.XLV.

EPISTOLA C.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. Iacobi, Legato Regio.

CUm Litterarum famam ſummo ingenio, eruditione, dignitate, inter paucos ſuſtineas; non ſines infra malignitatem temporum PUTEANUM tuum jacere. Nuper quidem, quantùm in Benignitate Tuâ præſidii ponam, miſſis litteris indicavi: nunc ut pietati filiorum meorum, paternam conantium ſenectutem ſublevare, faveas, obnixè rogo. Vota ſua libello ſupplici exprimunt, quem hîc vides. Sed ſi è tuis in Regias venerit manus, pondus accipiet. Ad Excellentiſſimum Comitem ASSUMARIUM ſimul ſcribo, Heroem, ita me Deus, incomparabilem; ejusque affectum imploro, fiduciâ beneficiorum, quæ in me, cùm Provincias haſce prudentiſſimè gubernaret, contulit. Reſpiciet ille abſentem, quemadmodum

modum præſentem complexus eſt, & amavit: ſic quidem quanti faceret elegantias omnes, & quàm copioſè poſſideret, abundè teſtatus. Junges nunc operam, junges auctoritatem, & in Puteani fortuna famam Litterarum extolles. His fultus ſubſidiis opera conabor omnia mea colligere, & voluminibus aliquot in publicum ſimul proferre. Nunc verò Bruxellam Septenariam Petro Martinezio Pazio conſignaturus ſum, ut is ad te mittat, alterumque ad Excellentiſſimum Comitem Assumarium exemplar. Vale vir ſumme, & Litterarum Decus, meque in filiis, filios in me ama. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Septemb. cIↃ. IↃC. XLVI.

CENTURIÆ II.

FINIS.

INDEX EPISTOLARUM

CENTURIÆ II.

A

Ærarii Sanctioris Regii Præfectis & Aſſeſſoribus. XLIII. XXI.
Alberto Archiduci, Belgarum Principi. I.
Alberto Lalainio, Comiti Hochſtratano, Gubernatori Tornacenſi. XXIX.
Alberto Principi Ligniaco, D. Ambelize & S. Imperii. L.
Andreæ Cantelmo, Legionis Italicæ Tribuno, poſteà Rei Tormentariæ Præfecto, & Catalauniæ Proregi. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXVI. XLIV. LIII. LXXIII. LXXXI. LXXXVI.
Antonio Comiti Grobbendoncquio, Vrbis Lovanienſis Præfecto. XXXIV.
Antonio de Avila & Toledo, Marchioni Veladæ, Legato Regio. LXVIII.
Antonio de Brun, Baroni d'Apremont, Legato Plenipotentiario Pacis, poſteà Ærarii Regii Sanctioris Præfecto. LXXXIV.
Antonio Marchioni Mirabellio, Legato Regio, Summ-

Summo Aulæ Præfecto. XXXVII. XLVIII. LXIX.

C

C*Arolo Laurino*, *Conſilii Provincialis Arteſiæ Præſidi.* XLV.
Claudio Balanſonio, *Summo Tormentorum Bellicorum Præfecto.* X. XV.
Claudio D'Ognies, *Comiti de Coupigni*, *Sanctioris Ærarii Præfecto.* XI. XXVII.
Conſulibus, S. P. Q. *Antverpienſi.* XXVI.
Conſulibus, S. P. Q. *Bruxellenſi.* LXXXVIII.
Conſulibus S. P. Q. *Colonienſi.* LXXVI.

D

D*idaco Saavedra de Faxardo*, *Legato Regio.* LXXIV. LXXV.

E

E*Manueli de Guſman*, *Equiti S. Iacobi*, *Magno Principis Eleëmoſynario* XXV.
Emanueli de Moura & Corte Real, *Marchioni de Caſtelrodrigo*, *Provinciarum Belgicarum Gubernatori.* LXXXIX. XCIX.

F

F*Erdinando Dandelot*, *Aulæ Præfecto.* IV.
Ferdinando de Boiſſchot, *Baroni de Saventhem*, *Brabantiæ Cancellario*, *Legato Regio.* XXXIX.

Franciſco de Mello, Comiti Aſſumario, Belgicæ Gubernatori. LIX. LX. LXII. LXIV. LXV. LXVI. LXXII. LXXVIII. LXXX. LXII. LXXXIV.

Franciſco de Pacheco, Marchioni de Seralbo, Summo Aulæ Præfecto. XLVI.

Franciſco Marchioni de Caretto, & Grana, Legato Cæſareo. XCV.

Franciſco Moncada, Marchioni de Aytona, Legato Regio. III. XVII. XIX. XX. XXVIII.

Franciſco Kinſchotio, Supremo Belgicæ Theſaurario, poſteà Brabantiæ Cancellario. VII. VIII. L.

Frederico, Holſatiæ Duci XLVII.

G

GOnſalvo de Cordua, Militiæ Regiæ per Germaniam Stratego. de XIII.

Guilielmo de Hamal, Comiti de Gommigny, & S. Imperii. IX.

I

IAcobo de Noyelle, Marchioni de Lisbourg, Comiti de Croix, Sanctioris Ærarii Regii Præfecto. XL.

Iacobo Hieronymo Rozdrazewcki, Comiti de Rozdrazew LVI.

Ioanni Comiti Naſſovio, Equiti Aurei Velleris, Equeſtris

queſtris Militiæ Regiæ per Belgium Summo Præfecto XXXV.
Ioanni Comiti Potok de Pototski, Palatinidi Bradavienſi. LXXXVII.
Ioanni Crane, Legato Cæſareo LXXXIII.
Ioanni Croyaco Comiti Solrano, Aurei velleris Equiti. XIV
Ioſepho Cantelmo, Duci Populi. XCI.
Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Hiſpaniarum Infanti. VI. XVI

L

LAurentio Ramirez de Prado, Equiti S. Iacobi, Legato Regio. XVIII. XLI. LII. LXI. LXIII. LXX. LXXIX. C.
Lupo Walthero zapatæ S. R. I. Comiti, Legato Regio. XXII. XXIV. XXXVIII. XLII. LI. LXVII. LXXVII.

O

OCtavio Picolominio, Duci Amalfio, Militiæ Belgicæ Archiſtratego Regio. XC. XCIII.

P

PEtro Ioanni Cantelmo, è Ducibus Populi XCI.
Philippo Alberto de Velaſco, Marchioni de Belveder. V.
Phillipo Guilielmo, Principi Auriaco. II.

Richar-

R

Ricardo Belyn, Regni Hiberniæ ad Summum Pontificem Legato. XCVII.

S

Staniſlao à Koniecpole Koniecpolſki, Caſtellano Cracovienſi, Exercituum Regni Poloniæ Supremo Præfecto. LXXI. XCVI. XCVIII.

T

Thomæ Lopez, Baroni de Limal, poſteà Comiti de Rodes. XXIII.

V

Virgilio Marchioni Malvezzio, Legato Regio. LV. LVII. LVIII. LXIX.

W

Wolfango Wilhelmo, Duci Neoburgico XII.

FINIS.

Digitized by Google